



F. Belcarii.  
M. Renati R.  
nophia.






F. F. C. II.  
B. & C. C. II.  
M. & C. C. II.

332





1. 190. 11. 11. 11. 11. 11. 11.

*FRANCISCI* De 335  
Belcarii Pegui-

LIONIS, EPISCOPI ME-

TENSIS, CONCIO SIVE LIBEL-

lus, aduersus impium Caluini

ac Caluinianorum dogma, de

infantiū in matrum vteris

sanctificatione: in quo

pleraque alia Calui-

ni etiam dog-

mata expē-

*ad statuſ ditetur. Cōm̄o an mār  
Pro loco natim. Fr̄m bernard*

P A R I S I I S,

Apud Claudium Fremy, via Ia-  
cobæa, ad insignè diui Martini.

1566.



PRAETER INFANTIVM  
in matrum vteris sanctificationem, hæc  
quæ hodiè controuertuntur capita,  
veluti per transennam bre-  
uiter explicantur.

- 1 Peccatum originis, & gratiam, eidē homini, eodem tem-  
pore, inesse non posse. fol. 18.19.
- 2 Peccata ex rei, non ex subiecti natura, distinguuntur. fol. 26.
- 3 Concupiscentiam non accidente consensu, non esse pecca-  
tum. fol. 27.28.
- 4 De Iustitia imputata. fol. 32.33.
- 5 An due duntaxat inde migrantibus via proponatur,  
Dextera & sinistra, hoc est via beata & gehenna, ut  
vocatur in sacris literis. fol. 39.
- 6 De prædestinatione fol. 16.17. & 41.
- 7 Baptismo peccatorum remissionem conferri. fo. 67.68.
- 8 De Exorcismis, fol. 49
- 9 An mulieribus baptismum administrare, fol. 51.52.
- 10 An iisdem in publicis cōuentibus psallere liceat. fol. 58.
- 11 Quid sit nasci ex aqua & spiritu apud Ioannē. f. 36.63.
- 12 Multa etiam quæ ad Eucharistie sacramentum pertinet,  
inseruntur. fol. 63.64. & seq.



# Carolo Lotharingo

Remorum Archiepiscopo, &c.

Cardinali ampliss. ac Patro-  
no suo obseruandiss. Fran-  
ciscus Belcarius Pegui-  
lio, Episcopus Meten-  
tensis, felicitatem  
precatur.

**R**O G A R V N T me amici , Car-  
dinalis amplissime , ut eam cōcio-  
nē , quam de infantium in matriū  
uteris sanctificatione nuper habu-  
eram , mandarem literis : & quo-  
niam summa tantum capita attrigissem (neque  
enim aliter per tempus licebat) Ut argumentum  
ipsum retexens , de integro singula capita , ratio-  
nesque fusiū explicarem . Incubui in id equidem  
hoc est in communem causam non inuitus , quod ,  
Caluiniani totam Galliam , præsertim vero Me-  
tentsem hanc διοίκησιν crebris concionibus ac li-  
bris etiam æditis , ista sua sanctificatione infe-  
cerint . Hæc dum molior , & singula cum singu-  
lis compono , Ecce nec opinanti breuis concio in in-  
stum penè volumen excreuit : quæsi Reipub . Chri-

stianæ erit vtilis, Deo primum opt. max. ingente  
habebo gratiam: tum mihi non nihil gratulabor,  
si ad commune extinguendum incendium, ali-  
quam aquæ portionem, velut in ipso temporis ar-  
ticulo attulero. (Iam enim nimiū grassatur infe-  
sta lues, ac latius in dies se porrigit) Metensibus  
certe nostris non inutilem fore spero: qui quonia  
hoc morbo grauius infestantur, præsenti antidoto  
magis opus habuerunt. Rudes has, & fortasse im-  
maturas studiorum meorum primitias (Cardina-  
lis amplissime) tibi consecradas putavi: Tum vt  
tua authoritate munitæ, improborum calumnias  
facile contemnant: Tum vt ei, quem mœcenatem  
benignissimum sum expertus, grati animi speci-  
men aliquod exhibeam. Dicerem plura de tuis,  
tuorumque laudibus, sed ille maiorem eloquen-  
tiam & campum ad spatiandum ampliorem,  
quam epistole modus capiat, desiderant. Quin-  
etiam & brevi libello longius haud attexendum  
procemium est. Ex nostro Christiano fundo,  
Idibus Septembbris. 1565.

# 2 Francisci Belcarij

Peguilionis, Episcopi Metensis, conciosue libellus, aduersus impium Caluini, ac Caluinianorum dogma, de infantium in matru uteris sanctificatione: in quo pleraque alia Caluini etiam dogmata expanduntur.

VONIAM hodierno die purificationem beatæ virginis domini nostri Iesu Christi matris celebramus. Viri Metenses, operæ pretium quidé erat puerperū primogenitorūmq; leges, quibus vel ille lustrari, vel hi in Dei cōspectū fisti iubebātur, fusi explicare. Impure enim multis de causis puerperę cēsebātur: Præsertim verò vel quod à publicis cōgressibus, atq; à mari torū etiā cōsuetudine statis à puerperio diebus arcebātur, vel vt ea lustratiōe nobis indicaretur fœtus ipsos in lucē ædi impuros. Omnes enim quotquot ab Adamo originē ducimus, impuri (vt testatur Paulus) profēcti. Etò nascimur. Verū enim uero quū magnā hac de re cōtrouersiam excitatam animaduerto, ex quo in hanc principem (inter eas quæ in cōfinio Galliæ, Germaniæque sitæ

*Leu. 12. 5.*

*Exod.*

*13. 14.*

A iiij

*Concio de sanctis. infant.*

sunt) ciuitatem Caluinianum intromissi fu-  
erunt, remque eo deductam, ut baptismus  
hereditariæ nescio cuius sanctificationis  
prætextu, à plærisque aut negligatur, aut  
dubio admodum euentu differatur, aut  
parentū spes saepius intercepta fallatur, li-  
berique interim baptismo nondū initiati  
plærumque moriantur. Quæ nobis alio-  
qui tractanda erant, aliis concionatoribus  
relinquimus, ipsi nouum, impiumque Cal-  
*τὸν εὐβρύνον* uini, ac Caluinianorum persequemur de  
dicitur *huius manus factus* infantium puerorum siue *τὸν εὐβρύνων* pu-  
*tus quādiu* ritate simul, atque impuritate paradoxon.  
*vtero geritur* Quod dum nouis rationibus confirma-  
*siue non re*, atque explicare nituntur, ita se rursus  
*dū vnuat*, implicant, ut impietatem, iuxta, atque in-  
*siue iā viscitiā suam palam profiteantur*. Rationū  
*ta sit prædictus* enim absurditas, inconstantiaque multò  
quām ipsum dogma à recta ratione, atque à  
*Gers. in o. ratione. de mat. b. Ma. virg. in cōcil. Cōslā. lasticos* (ut vocat) celebres (Gersonem dico  
*habita. Caiet. com mēt. in. 3. partē Tho. ma. quest. 68. art. 2.* atque Cajetanū) alios item plærisque ho-  
mines non leuiter eruditos, in ea fuisse sen-  
tentia, ut si, vel parentum Christianorū pre-  
ces, vel eorumdem benedictio (ut loquun-  
tur) vel Dei opt. max. inuocatio, infantuli  
in

in matris vtero intermortui , aut in lucē æditi, necdum baptismo initiati, mortem anteuerteret, bonam de eius salute spem conciperent, neque diuinam beneficētiam ita sacramento addictam existimarent, vt sine illius v̄su, ministerioque nihil vñquam posset. Horum dubiam , ancipitēmque sententiam (neque enim id tanquam axioma aliquod tradiderunt, sed vero simile esse dixerunt) & quadam humanæ fortis commissatione, indulgentiāque in mitiorem partē procluem, hæreticorū audax (vt solet) mul tum peruerit, peruersāmque longe superauit insania. Itaque ex Martini Lutheri officina prodeuntes, Zuinglius , Bullingerus, Caluinus, aliiq; eiusdē factionis, ciuidémq; frontis hæresiarchæ , hæresiarcharumq; sestatores nouarum rerum studiosi : vt non omnino ex ipso pr̄ceptore pendere, sed ali quid de suo addere viderentur, & nomē noble posteritati consecrarent, errorem ex errore nectentes , Christianorū infantulos (si ita mihi τὰ ἐμβρύα nominare permittā, quādoquidem aliter latinè explicare non possum) vel in ipsis matrum vteris hæreditaria parentum sanctitate donari pronūtiarunt: Id scilicet persuadere molientes, vt quēadmodum ex peccante Adamo hæreditaria la

*Concio de sanctif. infan.*

bes in totam humanitatem (vt ita loquar) hoc est humanam naturam permeauit, ita ex fideli Abrahamo in totam fidelium societatem h̄ereditaria sanctitas, siue puritas, permeare existimaretur. Quid verò aliud istud est, quām peccatū originis re ipsa inficiari, nomē relinquere? Quum enim peccatum originis semper mortē, h̄ereditaria sanctificatio semper vitam secum afferat: Qui

*Caluinia-* hanc ante baptismum in infantulis consti-  
*ni in suo* tuunt, nimirum illud euertunt: vt solo no-  
*centone ex* mine ad declinandam inuidiam relicto, Pe-  
*variis Cal* uini locis lagianis peccatū originis inficiātibus, pror-  
*coniuto, ac sus assentiātur.* Quod sanè cōfutatis Calui-  
*gallice scri* ni, Caluinianorumq; rationibus, qui noui-  
*pto. sc̄i si* priam sibi vendicarunt, fusiūs mox explica-  
*cationē qua* priam sibi vendicarunt, fusiūs mox explica-  
*tuor maxi* mē rationi cabo. Quas illi primum quadripertitas no-  
*bis confir-* bis obiiciunt, mox nostrorum argumentis  
*mant, mox respondere conantur.* Nos eundem ordinē  
*catholico-* sequuti, rationes rationibus, argumenta ar-  
*rū argumē* gumētis collata persequemur, vt cuius ma-  
*ta refellere* gis sit in promptu, de vtraq; assertione, vtra  
*nituntur,* vera sit, pronuntiare. Quanquam eas isti te-  
*Nos eodem* nebras offuderunt, imo verò ita suis tene-  
*ordine ob-* servato il-bris obruti sunt, vt iisdē cæteros inuoluere,  
*los cōfutā* atq; omnē iudicādi rationem nobis aufer-  
*dos susce-* re conētur. Cōtraria enim simul in re eadē,  
*pimus.* quin

quin & priuantia , & quę se mutuò interi-  
mūt, eodē tēpore recipiūt veluti, quum in-  
fantulos puros simul, atq; impuros, iisdeq;  
gratiam pariter, atque peccatum inesse pro-  
fitentur . Quæ si ita haberent, eadem opera  
idem pronūtiatum verum simul, & falsum  
confiteri possemus . Quod si primis, vel sa-  
crarum literarum, vel dialecticæ rudimētis  
ritè initiati fuissent, haudquaquam istā im-  
pudentiam nobis deridendā propinassent.  
Sed de his postea. Iam enim congrediēdum  
nobis est, & ratiōes quibus istud suum dog-  
ma fulcire nituntur, ad certam sacrarum li-  
terarū amuſſim paulò accuratius sunt me-  
tiendæ . Antequam autem ad disputationē  
ipsam aggrediamur, à verborum de quibus  
controversia est, definitione ordiri par est.  
Quam differēdi viam, atque rationē quum  
Caluiniani prætermiserint, nihil mirum si  
verbi nōnunquam ambiguitate falluntur.  
Quemadmodum igitur ex illorum scriptis  
colligere est, sanctos ac sanctificatos fidelū  
infantulos appellant, quod ex foedere cum  
Abrahamo inito diuinę bonitatis, & salutis  
per Christū, atque etiam gratiæ Spiritus san-  
cti, ita sint participes, vt si in eo statu moriā-  
tur, ēternę vitę omnino sint cōpotes , siue  
illi in matrum vteris adhuc conclusi, siue iā

*Concio de sanctif. infant.*

*Beza di.*, nati necdum tincti moriātur. Sic enim scribit Beza. Nam ab utero coram Deo sancti re sacra sunt fidelium pueri ex foederis formula, sed metaria ea sanctificatio baptismo ob-signatur. Sanctificationem vocant hanc puritatem, quæ ex eodem foedere à fidelibus parentibus ad liberos transmittitur, quæq; prestat ut liberi quoq; in foedere ipso numerentur, & diuina hęc supra commemorata beneficia cōsequantur: hoc est sanctificationē siue sanctitatem eam intelligunt, quę hominē Deo acceptum reddit, & renouat per spiritum sanctum, quæ nimirum baptismo ob-

*Genes. 17. gnatur. Hoc constituto rationes ipsas ex-*  
*Calu. In-*  
*stit. lib. 4. plicemus.*

*c. 16. sect.* **A**RTHAMO (inquit Caluinus) pollicitus est Deus, se Deum illius, atque *6. 9. et seq* posteritatis eius fore: quod si origo lib. de ve- sancta est, & quod inde prodit, sanctū est: *Id ē i. appē.* *ra eccl. ref.* siue (ut Pauli verbis vtar) si radix sancta est *ratione, et* sancti erunt & rami. Inde infantulos in manu. *anti. ad-* trum vteris succedente ex parentū fide pure *uer. ar. fac.* theol. pari- tate imbui infert. Nos verò non vnā Abramien. art. 1. hami posteritatem cōsiderare debemus: aut *Cal. in lib.* enim Iudæos intelligemus ex illius stirpe *gal. scripto* prognatos, aut cæteros ex adoptioē in illius *quo infan.* familiā fide insitos, veluti quos profelytos *sancifica.* Iudei vocabāt, vel postea Christianos, quot tractant.

quot

quot ex aliis nationibus Christo nomē de-  
derūt. Si illos intelligemus, sancti essent, &  
hodie Iudæorum in matrum vteris liberi. *Caluin⁹*  
*instit. lib.*  
*4. cap 16.*  
A qua sententia non videtur aliquādo ab-  
horrere Caluin⁹, dum Iudæos scribit pri-  
mos, ac nativos Euangelij esse hæredes, nisi  
quatenus sua ingratitudine, ceu indigni ab-  
dicati fuerunt. Sic tamen ut non penitus ab  
eorum gente cœlestis benedictio demigra-  
rit. Et paulò pōst de iisdem loquēs. Neque  
verò quantacunque contumacia cum Euā  
gelio bellū gerere perfistant, ideo tamen no-  
bis sunt despiciēdi, si reputamus in promis-  
sionis gratiā, Dei benedictionem inter eos  
etiamnum residere, ut certè nunquam inde  
prorsus abscessurā Apostolus testatur, quo  
niam sine pœnitentia sunt dona, & vocatio  
Dei. Et alio loco. De hac sanctificatione dif-  
ferens, Deum non in vno gradu ait cōfiste-  
re, sed vitæ promissionem in mille genera-  
tiones diffundere, neque qualis vnicuique  
pater fuerit, reputare, verūm omnes agno-  
scere sanctos, qui ex Abrahamo, ac reliquis  
patribus fuerūt progeniti. Si etiamnū inter  
Iudæos in promissionis gratiā Dei residet  
benedictio, eam sanè ut in liberos suos trāf-  
fundant consentaneū est. Si Deus vitę pro-  
missionē in mille generationes diffundit,

" *Caluin⁹*  
" *in appē-*  
" *dice de*  
" *vera ec-*  
" *clesiae re*  
" *forman*  
" *dæ ratio*  
" *ne.*

*Concio de Sanctif. infan.*

nec patres , aut auos , sed stirpes ipsas , pri-  
mamque illam generis respicit seriem:Hoc  
est Abrahamum, Isaacum, Iacobum, ceteros  
que quibuscum foedus suum Deus renouan-  
dum iudicauit, Sancti nimirus essent Iudeo-  
rum qui hodie viuunt , vel in posterum vi-  
cturi sunt,in matrem vteris liberi, ideoq; si  
tum morientur,in beatorum numero collo-  
cadi. Quod quam à ratione sit alienum, pij  
omnes dijudicent . Ita ille ex industria ob-  
scurus,& veris falsa inuoluens, nō secus at-  
que in disputationibus suis sophistæ, lector-  
es hianteis, & quid sequantur incertos, re-  
linquere consueuit. Sin Iudeis omisisse, cæte-  
ros intelligemus adoptionis iure,hoc est, vi-  
fidei,in Abrahams familiam receptos,quod  
verosimilius est,de quibus suū axioma Cal-  
uinianii interpretantur. Hoc opus,hic labor  
est,vt hæreditariam istam puritatem cōuel-  
lamus. Aio igitur Dei dona, animiq; virtutes  
haudquam esse hæreditarias : multo  
verò minus fidem ipsam , quam diserte ex  
diuina beneficentia proficiisci,deique donū  
*Ephes. 2.* Paulus esse testatur. Addo etiam puritatem  
ex fide prodeuntem Dei quoque esse donū,  
& inter animivirtutes debere numerari:id  
circoque ex parentibus ad liberos manare  
nō posse. Nam quī potius hæc prodiens ex  
fide

fide puritas, quā reliquæ animi virtutes, iustitia (inquam) & castitas, & tēperantia, cæteræq; virtutes à parentibus ad liberos hæreditario iure transmitteretur? Aut qui potius quām fides ipsa, quæ vel baptismo infunditur, vel teste Paulo non ex parentibus natura influit in liberos, sed ab audiēte dis-  
 citur? Nónne Pelagianorum sunt dogma- August. li.  
2. de peccata.  
 ta ex iustis iustos gigni, & ex fidelibus san-  
 & fificatos? Atqui qui iusti, ac sancti sunt, spi- merit. ♂  
remiss. con-  
 ritu Dei iusti, sanctique sunt, qui non tra- tra Pelag.  
 duce, sed singulari in singulos Dei inspira- ca. 9. ♂ c.  
25. ♂ 26.  
 tione infunditur. Itaq; non nouā Caluinus  
 Caluinianique, sed veterem admodū, exole-  
 tamq; cantilenā canunt: quo fit vt lōge ali-  
 ter hūc Mosis locū interpretari debeamus.  
 Est enim quoddā pacti genus: pactum au-  
 tem conditionem mutuam inter eos qui in-  
 uicem stipulantur, cōtinet. Pollicetur Deus  
 se Deum Abrahāmi, atque posteriorū eius  
 fore: sed ex conditione pacti. Qui istud? vt  
 posteriorū eius Deus sit, perinde atq; Abra-  
 hāmi fuit. Atqui credidit Abrahām⁹ Deo,  
 & idcirco iustus habitus est, qua ratiōe ma-  
 ximè Deus se Deum illius fore profitetur.  
 Verè enim iustorum est Deus, cuius illi in  
 primis beneficētiām experiūtur, & quos il-  
 le solos acceptos habet. Itaque quemad-

*Concio de sanctif. infant.*

modum Abrahami fuit Deus, ita & posterorū Abrahami Deus erit: hoc est quem admodum Abrahamum inter suos numeravit, ita & posteros eius inter suos quoque numerabit. Sed ut id præstet, implenda mutua pacti conditio est, nempe si illi Deum veluti Abrahamus fide agnoscent. Alioqui

*Roma. 9.* non omnes qui ex Israële prodeunt, veri sunt Israëlitæ, neque omnes qui ex Abrahami stirpe profiscuntur, germani sunt Abrahami liberi. Hanc illius foederis fuisse

*Roma. 4.* conditionem disertè explicat Paulus, vel

*Caluin<sup>9</sup>* „ interprete Caluino, Abrahamum inquiens

*institut.* „ fide iustificatum in præputio, mox signum

*lib. 4.c.* „ accepisse circuncisionis, sigillum iustitiae, si

*16. sect.* „ dei, ut pater esset omnium fidelium, & præ-

„ putij, & circuncisionis, non eorum qui sola

„ circuncisione gloriantur, sed qui sequun-

„ tur fidem, quā pater noster Abrahamus in

„ præputio habuit. Videlis qui sunt Abra-

„ mi posteri? nimurum qui fidē Abrahami se-

„ quuntur. Et alio loco. Abrahamus credidit

„ Deo, & imputatum est illi ad iustitiam. Sci-

„ tis igitur quod qui ex fide sunt, iij sunt abra-

„ ham filij. In foedere itaque cū Abrahamo

atque eius posteris inito, infantuli, aut alijs

quiuis non recensentur, nisi in Christi eccl

fia, quæ vera & vnica huius foederis, atque

ex

ex Abrahamo manatis fidei est haeres, prius  
recenseantur: Hic autem baptismo, sicut o-  
lim circuncisione, recensentur: vt haec pro-  
missio, quam impropriè succendentē ex fide  
sanctitatem Caluiniani appellat, haeredita-  
ria, nisi ex foederis conditione esse non pos-  
sit. At verò si foederis conditionem spectes,  
haudquaquam manante ex parentibus ad li-  
beros puritate, sed certa paterna religionis  
imitatione, haereditaria est, iis qui paterna-  
rum virtutum æmuli, paternam virtutum  
omnium parentem, fidē imitantur; vel qui  
nondum rationis compotes, communis ma-  
tris, ecclesię inquam, huius promissionis le  
gitimæ haeredis beneficio in ipsum foedus „ Rom. 9  
recepti, eodē iure censentur: hoc est (vt Pau Orige, tra-  
li verbis vtar) non qui filij carnis, hi filij Etatu. 5. in  
Dei, sed qui filij promissionis recensentur Matthæu.  
in semen. Itaque dubitat Origenes an Chri-  
stianorū infantibus ante baptismum, an ve-  
rò post baptismum duntaxat angeli custo-  
des assignantur. Qui si ex matrū vteris san-  
cti essent, quis illis custodes angelos adesse  
inficiari posset? Quæram præterea ab istis  
tam latè patentis sanctitatis authoribus, nū  
corum qui ex Christianismo ad Anabaptif-  
mū, Ethnicismūmū defecerūt, sancti liberi  
nascentur. Si nascentur sancti, id quidem

*Concio de sanctif. infant.*

ex parentum fidē non consequentur. Si im  
puri, eorumdem igitur parentum alij san-  
cti, nimirum ante defectionē à fide, alij im-  
puri post defectionem liberi nascentur. Et  
pro parentum conditione, quoties in illis fi-  
dem labare contigerit, liberorum quoque  
toties conditio mutabitur. Quid? quod no-  
stros hoc est omnes qui in ecclesiæ vniuer-  
ſe consensu perſtiterūt, idololatras paſſim  
Caluiniani appellant, & extra ecclesiam ef-  
ſe prædicant, nec ſe, quum à nobis feceffe-  
runt, ab ecclesia feceffiſſe iactant. Si idolo-  
latræ ſunt, è fide nimirum prorsus excide-  
runt. Si item extra ecclesiam ſunt, quomo-  
do ad liberos sanctitatē transmittent paren-  
tes? Quum extra ecclesiam nulla fit sancti-  
tas, vt ex Ezechiele probat in hæc verba Cal

*Caluin⁹* „ uinus. Quum gloria Dei (inquit) inter Che  
*inſtitut.* „ rubin in ſanctuario ſederet, cāmque ſedem  
*lib. 4. c.* „ ſibi ſtatā fore pollicitus eſſet dominus, vbi  
*2. ſect. 3* „ cultum eius prauis ſuperftitionibus corrū-  
„ punt facerdotes, alio transmigrat, & locum  
„ ſine vlla ſanctitate relinquit. An igitur no-  
ſtrorum liberos sanctos quoque naſci con-  
cedent Caluiniani? Quod ſi concedent, no-  
ſtrios idololatras negent, & noſtram eccl-  
eſiam, veram ecclesiam fateantur neceſſe eſt.  
Si non concedent, quid mirum, ſi ſanctifica-  
tionem

tionem hanc paucis Caluinianorum eccl-  
esiis cognitam, ceteris incognitam repudia-  
mus? Sin longius ducēdam originis seriem  
aient (vt respondit aliquando Caluinus) &  
nos paulò antè annotauimus, neq; Deum  
in vno gradu cōsistere, sed vitæ promissio-  
nem in mille generationes diffundere, ne-  
que qualis vnicuique pater fuerit, reputare,  
verùm omnes agnoscere sanctos, qui ex A-  
brahamo, ac reliquis patribus fuerunt pro-  
geniti, videant quonam pacto Iudæorū qui  
in iudaismo perfliterunt, & qui hodie etiā  
viuunt, liberos à foederis communione, &  
manante inde sanctificatione excludāt, qui-  
bus eam tamen sanus nemo concederit.

Quid? quod suorum sanctificationē agno-  
scere, aut saltem dijudicare nō possunt: Im-  
pios enim, aut peccatores reuera à Christi  
ecclesia extraneos, nec eius esse mēbra Cal-  
uinus afferit. Si extranei sunt ab ecclesia (vt  
ille loquitur) si eius mēbra non sunt, quo-  
modo sanctitatē, quæ ecclesiæ propria est, ad liberos transferent? Quomodo in Calui-  
nianis ecclesiis qui liberi sancti, aut non san-  
cti nascantur, poterit internosci, quum im-  
pios à piis secernere nō possit? Atqui ne-  
minem ad baptismum recipiendum putāt,  
nisi de eius sanctitate cōpertum habeamus,

*Caluin⁹ in  
appendice  
libel de ve  
ra ecclesiæ  
reformati  
one.*

*Caluin⁹  
instit.lib.  
4.cap.I.  
sect.9.*

*Concio de sanctif. infant.*

aut sperare merito debeamus. Quia igitur conscientia ad tingēdos suorū liberos progressientur? In eandem sententiam, quā nuper de Abrahā fœdere edisseruimus, & illud Pauli accipiendum est, Si sancta est radix, sancti erunt & rami: Sancti (inquam) si purum illum radicis humorē in germanos, viuidosq; ramos defluētē, vel doctrina partū, vel infusum retinent, fidē, scilicet Abrahā, cuius vi radici non suæ sunt insiti, & Germanorū ramorū loco habentur, imò vero Germani sunt rami. Hic colligere nimirū vñusquisq; facile potest, q̄ diuersa sit ab hac hæreditaria, quā Caluiniani somniant, sanctitate, diuina illa ex fœdere cū Abrahā iacto cōcepta promissio, quæ certā legē pponit, nempe ut fidē Abrahā imitetur, quisquis se inter Abrahā posteros numeratū volet. An verò promissio fœderis ad infantes solos, non etiam ad adultos pertinet? Sanè non solum Isaacus adhuc infans, sed & Ismaēl, & plerique Abrahā verū iam grandiores, atque etate prouectiores circuncisi, & in fœdere numerati fuerunt: Atqui adulti in fœdere numerati nō sunt, nisi Abrahā fidem imitarentur, vt de Esau, ac Iuda legimus. Quemadmodum itaque adultis nihil profuit parētum fides,

nisi

nisi paternæ fidei imitatio priuatim accede-ret: ita neque infantibus vel profuit, vel pro desse potest, nisi sacramentum fidei sigillū, hoc est olim circūcisio, nunc baptismus ac-cedat: tantum abest ut illis sanctitatem af-ciscat. Quanquam in sanctificationis ratio-ne non satis sibi cōstat ipse Caluinus: hic e-nim disertè fideliū liberos ex Abrahami fœ-dere trahere sanctitatē asserit. At alio loco obscuriū loquitur, eandēmq; aliundē trāf-<sup>Calui. inst. lib. 2. c. 1.</sup> mitti, atq; à maiore vi proficisci putat. Pro-<sup>fect. 7. i. fi.</sup> pter parentes (inquit) fidelium liberos san-tificat Deus, nō quidem vi naturæ, sed ac-cedēte gratia. Porrò quod eorum sanctitati quodammodo communicant, specialis est populi Dei benedictio, quę non facit quo minus prima illa, & vniuersalis gētis huma-næ maledictio præcedat: Ex natura enim reatus, sanctificatio autem ex supernaturali gratia. Vidistis nuper sanctificationis causam præscribi fœdus Abrahami, hīc super-naturalē (ut idem vocat) Dei gratiam pro-poni videtis. An verò ex fœdere illo ea gra-tia pendeat, an sigillatim diuinitus infunda-tur, nulla fœderis habita ratione, non expli-cat. Præterea, nec cur sit supernaturalis, aut cur ita sentiat, causam reddit, nec sententiā suam noui, veterisue instrumēti testimonio

*Concio de sanctif. infant.*

cōfirmat. Verum enī muero tanta apud suos  
authoritate pollet, vt iis satis sit illud Pytha-  
goricum ἀντὸς ἐφα : nobis nō licet esse tam  
acutis, qui auditores nacti sumus morosio-  
res, & aduersarios experimur tam difficiles,  
vt non solum iis quæ veterum scriptorum  
authoritate munita, proferimus, sed ne tra-  
ditionibus quidem vniuersæ ecclesiæ con-  
fensu receptis, & ab Apostolorum, aut eorū  
qui Apostolis proximè successerunt, secu-  
lo, ad nostra hæc tēpora continuò vnu  
confirmatis, assentiātur, quin potius sibi fucum  
fieri exclament, & quasi grauem contume-  
liam patiantur, ad scripturam (vt illi incul-  
care solēt) subinde prouocēt. Quod si eadē  
nobis permitteremus, quantas Dēū immor-  
talem excitarēt tragœdias ? At longè aliam  
rationem cur fidelium infantuli nondū tin-  
ēti salutem aliquando consequātur, aut sta-  
tim à baptismo morientes aliquando salutē  
non consequantur, reddit Petrus Martyr.

*Petr⁹ Mar  
princ. 7.  
pri. Cor.* Proponit enim æternā Dei electionem tā  
infantulis, quām adultis causam salutis : id-  
circoq; nec omneis christianorum infantu-  
los ante, vel statim post baptismum susce-  
ptum mortuos salutis compotes esse existi-  
mat, nec inuectam à Caluino ex Abrahami  
foedere sanctificationem admittit, quę vt o-  
mni-

mnibus Christianorum infantulis communis est, ita omnibus quoque prima illa ætate, vel illo potius vîte initio mōrientibus salutem pollicetur. Sed promissionē illius fœderis ad eos fidelium liberos restringit Mar tyr, in quibus vnâ Dei æterna consentit ele ctio. Ita isti vbi à recta via semel discesserunt, in avia feruntur, nec vnquam coeuntes, sed huc, illucq; distracti, in diuersa præcipitia perituri ruunt.

**Q**VINETIAM Paulum ex nuper cō-<sup>1. Cor. 7.</sup> memorato Mosis loco, sanctos pro-<sup>Cal. instit.</sup> nuntiasse aiunt Christianorū <sup>lib. 4 c. 16</sup> liberos. Vir (inquit) nondum Christianus, <sup>Se. 15. et 31</sup> christianæ vxoris opera sanctificat⁹ est, san-<sup>Et i appē.</sup> tiificata est & vxor nondum christiana siue <sup>li. deue. ec.</sup> ref. ratiōe. fidelis (vt Paulus loquitur, & nos latinæ lin guæ loqui inopia cogit) opera viri Christia ni, alioqui immundi vestri essent liberi, at qui sancti sunt. Sanctificādi enim verbo, & his quæ ab illo deducuntur vocibus, in tota hac disputatione sèpius vti cogimur, nouis fortasse, & minus apud bonos authores vſitatis. Ut autem, hunc obicem è medio tollā, Aio primum nullā hic infantolorū in matrum vteris adhuc conclusorum fieri mentionem, qui nisi in lucem æditi sunt, neque Latinis, neque Gr̄ecis liberorū nomine cē-

*Concio de sanctif. infant.*

sentur. Deinde de longe alio sanctitatis, aut sanctificationis genere, multumq; diuerso ab eo quod Caluiniani nobis obtrudūt, loquitur Paulus. Quod vt perspicue magis explicetur, illud memoria in primis tenendum est, Christianos primis illis etiā Christianismi nascentis initis, à prophanorum, hoc est nō christianorum matrimoniiis abhoruisse, eorundemque se contubernio, ac consuetudine inquinatum iri existimasse: quæ mox vti nefaria, & á Christianæ

*Concil. El.* ligionis synceritate aliena, conciliū Eliberbert. c. 16. tinum interdixit: Et ante concilium EliberTertul. li. tinum damnarūt antiqua illa ecclesiæ lumen, Tertullianus, qui fideles gentiliū matrimonia subeuntes, stupri reos esse, & ab omni communicatione fraternitatis arcendos

" pronuntiat: Et post Tertullianum Cyprianus. Sed nec Iudeis olim cum prophanis, & quæ idolorum cultibus pollutæ erant mulieribus, matrimonia contrahere fas erat: ne

*Deuter. 7.* muliebribus illecebris pellecti (vt de Solumone legim⁹) prophanos & ipsi cultus imitarentur. Hinc Paulus viro mortuo liberū esse vxori ait, vt alteri nubat μόνον εἰ κυρίῳ modo in domino nubat scilicet, hoc est, vt contra Iouinianū Hieronymus, & ante Hieronymum Tertullianus interpretatur, modò

*2. Reg. II.*

*Aliter ta  
men Basilei-*

nubat

nubat viro Christiano. Sed inter coniuges *lius, quinus*  
qui iam matrimonio coniuncti erant, quo- *bere in do-*  
rum alter Christo mox nomen dabat, lóge *mino, nihil*  
alia ratio erat. Itaque & iis aliter consulit *aliud esse*  
Paulus, matrimonij scilicet nexum inuiola *scribit, quā*  
bilé haud leui de causa debere dissolui, nec *non ad vo-*  
quos Deus coniunxit, temere esse separan- *nis, sed su-*  
dos. futurū præterea prospiciebat, si quot- *dicio, & vi-*  
quot Christianismum profitebantur (qui *tae commo-*  
propè innumerabiles quotidie accedebat) *dioris ra-*  
cum prophanis coniugibus, & qui eandem *tione nu-*  
religionem profiteri adhuc detrectabat, di- *ptias elige-*  
uortium faceret, magnę id vt perturbationi  
ansam daret, ac secundū Euangelij cursum  
fortasse interturbaret. Itaq; Christianis con-  
iugibus suadet, ne coniugalis huius consue-  
tudinis prætextu se inquinatum iri existi-  
ment, néue cum suis coniugibus, quamuis  
prophanis, & à Christianismo abhorrenti-  
bus, diuortium faciant, modo vocationem  
persequi fas sit. Sanctificatus est enim (in-  
quit ille) vir prophanus & nondum Chri-  
stianus opera vxoris Christianæ, & contra.  
Qui istud (inquam) vxoris probismoribus,  
crebris adhortationibus, assidua oratiōe, &  
fusis pro viri salute precibus, vir ad Chri-  
stianismum accessit, ac sanctificatus est, hoc  
est ex impuro purus, ex prophano sanctus

*Concio de sanctif. infant.*

euasit. Hanc autem puritatem siue sanctificationem ex i<sup>c</sup>to cum Abrahamo foedere, ne Caluiniani quidem pendere , aut viro si nondum Christianam religionē professus, tinctusq; decessisset , salutem attulisse dixerint. Quod vt quae consequuntur, perspicuè intelligantur, in primis animaduertendum est: Sanctum enim & sanctificandi verbum in hac Pauli periodo non ambiguè , sed in eandem significationem accipiēdum nemo non nouit . Alioqui Paulus qui ad vulgus Corinthiorum imperitum potius, quam ad viros doctrina excellentes (qui pauci admodum inter eos numerari fortasse potuerūt) scribebat: se statī explicare, nec ænigmata veluti *σοτευδος* aliquis Heracletus pro dilicida perspicuāque, quam ille profitetur, doctrina obtendere debuit . Addendum & illud est: quum Paulus virum infidelem fidelis vxoris opera sanctificari ait, non ita accipiendo esse, quasi ita semper euenerit: Nequid contendit Paulus . Sed ita plerumq; fieri consueuerat : quod si à Christianismo coniunx prophanus semper abhorrebat , tum neque ab vxore christiana sanctificabatur: ne quis hic hallucinetur, & semper prophenum maritum à Christiana vxore sanctificatum putet. Subiicit enim Paulus: Qui scis

mu-

mulier, an virum sis seruatura? aut qui scis  
 vir, an vxorem sis seruaturus? indicans scili-  
 cet infidelem fidelis coniugis opera nō sem-  
 per sanctificari, neque seruari. Sanctificatio-  
 nis aliquot genera enumerat Augustinus, *Aug. ser.*  
 sed ita obscurè hunc locum tractat, vt in e-  
 iusdem interpretatiōe multūm illum desu-  
 dasse constet. Vt ad rem redeam: Quū vxor  
 christiana à viro prophano secedebat, aut  
 contra: prophanum, qui vel domi, vt plu-  
 rimum sese continebat, nec solum vertebat,  
 nec à propinquorum societate discedebat, *ca. 5. lib. 2.*  
 vel saltem cum suoscives, tum magistratus, *rit. c. 26.*  
 qui & ipsi prophani, atque idololatræ erāt, *¶ lib. 3. c.*  
 & quiiores experiebatur, magna ex parte li-  
 beri sequebantur, & impiis idolorum cul-  
 tibus imbuti, atq; innutriti, prophani & ip-  
 si, atque impuri, aut (vt loquitur Paulus) im-  
 mundi erant. Sed quum christiana coniūx  
 à prophano coniuge non discedebat, com-  
 munes liberos, doctrina, exēplo, probis mo-  
 ribus, institutos christianismo imbuebat.  
 Sic illi ex impiis, pīj, ex impuris puri, ex pro-  
 phanis sancti euadebāt. Non autem sancti  
 erant quod ex fidelibus nati, in foedere A-  
 brahami numerarētur, vti à Paulo sanctos  
 dici Caluiniani impudenter mentiuntur:  
 neque enim id Paulus vel dicit, vel indicat,

*Concio de sanctif. infant.*

neq; ex eo colligi vlo modo potest. Quē admodū igitur coniunx christiana prophānum cōiugem ex impio pium , sanctumq; reddebat, aut sanctificabat, vt loquitur Pau lus: Sic eadem quoque & cōmunes liberos, ex impuris puros, sanctosq; reddebat: nihil itaque hæc sanctitas (quam sanctificationē Caluiniani appellare malunt) cū illo Abrahāmi foedere commune habet: Hæreditaria siquidem nullo modo erat, sed doctrina, exemplōq; comparabatur : quibus vel Christiana vxor virum prophanum, aut contra, vel alter parentum Christianus communes liberos erudiebat, ac Christianæ religionis puritate quodammodo cōfescrabat, hoc est à prophanarum religionum impuritate reuocatos christianismi puritate imbuebat: Et in causa erat, vt illi baptismo suscepto tādem inter Christianos numerarentur, Christianāmque religionē profiterentur. Atque vt tandem hunc locum absoluā, & ex Paulō ipso, Tertullianoq; explicem, sanctificari hic nihil aliud significat, quam ex idololatria ad Christianismum conuerti. Et inde animi puritatem adipisci, & sancti eos Christianorum liberos, qui vel ex idololatris Christiani sunt facti, vel qui sunt veluti fidei candidati, nec vllis idolorū cultibus pol luun-

Iuūtur, neque destinātur . Sic enim sanctos fidelium liberos etiam ante susceptum baptismum post Tertullianum vocat Hieronymus : Idem & sanctificare in hanc significationem accipit, & patrem familias vocat fidei candidatum, qui cum tota eius familia Christiana esset, quamuis candem religionem nondum profiteretur, tamen proximū videbatur, ut mox profiteretur : Sancta (inquit) & fidelis domus virum sanctificat insidelem. Iam candidatus est fidei, quem filiorum & nepotum credens turba circundat. Sic etiam latini scriptores filiū paternae gloriariae, aut atticæ eloquètiæ, & immortalitatis appellant candidatum: non quod tum fidelium liberi eam sanctitatem iam assequuti sint, sed mox sint assequunturi, perinde atq; candidati magistratum quem ambiunt, mox inēunt. Hinc alio loco fidelium liberos sanctitatis designatos Tertullianus appellat, quod ut prophenorū liberi infulis apud idola confectis redimiti dæmonibus volebantur, ac quodammodo addicebantur. Sic fidelium infantuli vel ex matrū vteris Christo destinabantur . Quos itaque designatos sanctitatis, id est fidelitatis (si ita loqui licet) hoc est fidei in Christum suscipiéda destinatos vocat Tertullianus , eosdē sanctos

Tertul. de  
monoga.

Hier. epist.  
ad Paulinū

Quintil. in  
pref. lib. 6  
instit. ora.  
Pli. in pan.

Tertul. lib.  
de anima

*Concio de sanctif. infant.*

id est vel fideles , vel fidei Christianæ destinatos Paulus vocat . Nam pro causa nonnunquam sumitur effectus : Sicut concupiscentia peccatum aliquando dicitur , quod si quando in homine dominatur , peccatum pariat : Sic vocatur lingua , loquutio quam facit lingua , & manus vocatur scriptura , quam facit manus , vt docet Augustinus , & nos paulò infrà quum de cōcupiscentia agetur , fusiūs persequemur . Immūdi autem eos designāt , qui in prophano idolorū cultu perfūterunt : Sanctos enim pro fidelibus

*Ro.1. et vlt.* sapenumero Paulus usurpat . Et Tertullianus mulieres sanctas pro fidelibus accipit ,  
*Ephes.2.* ac sanctum Gētili opponit , vt vulgo fidelē ,  
*2.Cor.vlt.* infidelēm q; opponere solent . Quod si quis  
*Philip. vlt.* Tertul.lib. veterum scriptorum phrases diligenter ob  
*2.ad vxo.* seruet , non vagabitur incertus , aut ad Abrahā mihi fœdus , tanquam ille qui gemino bellum Troianū exorsus est ab ouo , recurret ,  
*Horat.de arte poetic.* vt Paulū hic interpretur , sed obuia , ac simplici , germana deniq; interpretatione , peregrinis , atq; à Pauli sensu alienis reiectis , securus fruetur . A qua sanè nō videntur alieni  
*Cent.1. li.* historiæ Ecclesiasticæ Magdeburgicæ  
*2.cap. 6.* authores , quanquam mea quidem sententia sese non satis explicant , aut certè hunc Pauli locū non satis explicant . Aiunt enim Paulum

lum appellare sanctos fidelium liberos, non quidem ob natuitatem, sed qui Christiani parentes eos suis precibus deo cōmendent, & ad baptismum, & lauacrum regenerationis & sanctificationis citius offerant, quam Ethnici parentes.

**T**E R T I O Paulum etiam nobis opponunt, qui Adamum Christi typum *Roma. 5.* esse scripsit. Quā verò istud? nempe *Tertia ratiō excep-*  
quod suis vterque quod suum est, & natu*tio ex cal.*  
ræ suæ peculiare impartitur, & velut ramis *inst. lib.*  
trūcus infundit, Adamus sordes, peccatum, *4. cap. 16.*  
iniustiam, Christus puritatem, gratiam, iu*seq. 6.*  
stitiam. Quemadmodum igitur in ipso cōceptu foetum inficit Adamus, ita & eūdem  
sanctificat, purumq; reddit Christus. Christi quippe gratia, Adami peccato vberior,  
ac superior est, longeque prestat. Vbi enim  
exuberauit peccatū (inquit Paulus) ibi magis exuberauit & gratia. Si hæc ratiocinatio *Rom. 5.*  
firma esset, vereq; confisteret, quid inde cōsequeretur, expendamus. Necessario nimirum foetum antequam conciperetur, & antequam omnino esset, Christi sanctificaret gratia. Alioqui Adami peccatum si tempus species, Christi gratia non anteuferteret, sed vna cum illo prorsus esset æqualis, vt quæ in ipso cōceptu perinde atque Adami pec-

*Concio de sanctif. infante.*

catum, nec ante vim suam primū exereret. Præstat itaque Christi gratia Adami peccato, vberiorque est, non eo quod id anteuerit, ac quodammodo præcurrit (vt temporis ratio habeatur) sed quod vi viuida, siue viuificatrice (vt theologi loquuntur) potentiū agit, magisque prodest, quā Adami peccatum obest. Hoc cōstituto inuolutā hāc rationē euoluere, atque explicare haud difficile est. Quemadmodum inficit Adamus, ita & suos cluit Christus: sed vterq; suo mo re, hoc est pro singulari naturę suę ratione: ille labem infundit, hic purgat, sordesque cluit. Adamus corpore constans & animo, naturę suę insitam labem ex parentibus in liberos tradiſce, ac successionē quadā, emit tit, atque his velut intermediis illud suū virus effundit. Christus autem corpore quidē sed & diuinitate præditus, cuius maximè vim admirabilem baptismo in nos exerit, non tradiſce agit (quæ corporum propria, peculiarisque est actio) sed vim viuificati cem spiritali innouatiōe infundit, nullóq; (nisi forte sacramētum adhibetur) interme dio agit. Et (quod diuinæ illius mentis proprium est) animis nostris illabitur, ac quicquid sordidum est, mirandum in modum purgat. Quamuis enim sacramentum non-

nun-

nunquam adhibetur, ipse tamen Christus illo velut organo vt̄s, idque nullo alio intermedio agit: quod & in baptismo, & aliis quæ baptismi vicem implent, exemplis experimur. Adhæc si h̄c ratio locum habet, si Christi gratia magis quam Adami peccatum exuberat, vt volunt Caluiniani, & nos ingenue fatemur: Sanè vt re ipsa inficit Adamus, ita & re ipsa purgat Christus, baptismoque initiatos eluit. Quo igitur ore concupiscentiam post baptis̄mum peccatū esse aient! aut hominem semper inquinatū peccato afflērent? Si Adami iniustitiam re ipsa propagari, atque in nos transfundi concedunt, qui iustitiam Christi nobis impunitam (vt vocant) statuent? Addam & illud: Si carne sua inquinat, mortēmque generando immittit Adamus, nonne carne sua vitā afferet Christus? nonne carne sua re ipsa in cœna carnem nostram vivificabit? vt theologi loquuntur: Carne sua (in quā) hic oblatā, non carne ē cœlo vi fidei petita, vt temere Caluiniani cōminiscūtur. Qui igitur traducem Christo perinde atq; Adamo affingūt, & eius ἐνέργεια τēpore metiūtur, s̄odēq; vtr unq; modo agere autumāt, aut naturalis generationis rationē cū spiritualis renascētiæ, siue regenerationis ratione confunde-

*Concio de sanctif. infant.*

re nituntur, iij nimirum ex Deo hominem simul, & ex homine Deum facere moliuntur. Sit ergo constitutum, Christi gratiā peccato Adami præstare vi viuificante, & actionis efficacia, nō quod tempore peccatum

*Hierony. ad Letam.* „ anteuertat. Fiunt enim (vt inquit Hieronymus) non nascuntur Christiani, quomodo igitur sancti erunt antequā Christiani? Sanctitas omnis à spiritu sancto est, qui non nisi Christianis datur. Quid præterea sibi velint Caluiniani, quum infantulos in ipso conceptu siue conceptione sanctificari aiunt, omnino non intelligo: Nam tum infantulis nondū infusa anima est: Etiāmne verò carnēa, & informis illa moles sanctificata dicitur? Accedente potius anima (si probabilia, non autem paradoxa dogmata inuehere volunt) accedere & sanctificationem dicant, nec eam ad cōceptum, quum ἐμβρυον nondum animalis, nedum hominis nomine cēsetur, vsque reuocent.

*Roma. 9. Quarta ratiō excerpta ex Musico in locis cōmuniib. c. de bapt.* **P**O S T R E M O quasi Colophonē addunt ex eodem Paulo, apud quē Deus se Iacobum patriarcham, antequā boni, malitiae quipiam patrasset, imò verò antequā in lucem æditus esset, dilexisse profitetur. Quonam (inquiunt) pacto Iacobum dilexisse potuit Deus ex conceptu, ortuq; peccatis

catis infectū , impurumq; , n̄isi eundē Christi gratia purificatum , ac sanctificatum (his enim verbis , vt iam ante sum præfatus , ad rem magis explicandā , & sub oculos ponendam vtar) considerasset? Huius argumentationis explicatio nec difficilis , nec longe petenda est . Quandoquidem æternam Dei electionem designat Paulus . Quod si eam prædestinationis rationem , quam sequitur Caluinus , recipere mus , facilius fortasse nodus iste dissolui possèt . Et quoniam Caluiniani in magistri sui verba iurarūt , nec minus à Caluino , quām à Paulo dissentire sibi nefas esse ducūt : Agite experiamur , si quid hic possumus : quam in his refellēdis rationem mox etiā sequuturi sumus , vt ex præscriptis Caluini verbis , argumentisque aduersus eos potissimum agamus . Et si id maximè illi ægrefuerunt , sed quām nihil in magistri sui schola profecerint , agnoscētes , meliorem fortasse postea mentem induent . Iacobum dilexit Deus antequam boni , malīue quippiam patrasset : imò antequam in lumen esset æditus . Cur ita ? Prædestinavit siquidem Iacobum velut rarum suæ bonitatis exemplū . Si inde Iacobum in matris utero sanctificatū colligemus , quid consequatur expédere operæ pretium est . Id vero ita

*Concio de sanctif. infant.*

habet. Quemadmodum ante mudi ortum,  
initiumq; Iacobū , atque adeo pios omneis  
prædestinavit Deus : ita eosdem tanto ante  
dilexit. Diuinæ enim illi menti omniū per-  
fectissimæ, & quæ cæteris ut sint, perfecte q;  
in suo genere sint, præstat: Omnia sunt præ-  
sentia, neque ullum temporis est discrimē:  
*2. Petr. 3.  
Hierony-  
mus ad Da-  
masum.*  
illi (inquit Petrus) mille anni ut dies unus,  
& dies unus ut mille anni. Si quod Iacobū  
piosque omneis tanto ante dilexerit Deus,  
& quod eosdem tum quoque sanctificaue-  
rit, aut interpretabimur, aut inferemus: Ia-  
cobum nimur, pirosque omneis, non in  
matrum vteris, sed ante mundi ortum, ini-  
tiūmque, sanctificatos interpretabimur:  
*Cyrillus li.  
6. Detrini-  
tate.*  
quod sanctificatiōis genus (Sic enim à nō-  
nullis etiam antiquis scriptoribus vocatur)  
ab eo diuersissimum est, quod Calviniani  
tractant, & hæreditarium pronuntiant: ne  
hic nos verbi ambiguitate circumscribant.  
Ad hæc huiusmodi sanctificatio ad eos dū-  
taxat (quos theologi electos vocat) pertine-  
ret, quos iidem reprobos nominant, exclu-  
deret. Hi enim nullum eius usum, ne in ma-  
trum quidem vteris experientur: illos sele-  
ctos, hos reiectos, non incommodè fortasse  
dicere possemus. Hinc quam ineptè æter-  
nā Dei electionem cum sua sanctificatione  
commu-

commutarint Caluiniani, aut saltem alterā alteri incōcinne attexentes, coniunxerint, sa tis supérque(ni fallor) perspicuū esse cuius potest.

**N**E c magis obest quod ad Ephesios <sup>Ephes. 2.</sup> scribit Paulus, quum ait, Eramus na " turā filij iræ, id est, sub ingenti Dei indignatione constituti. Sed immensa Dei benignitas, ac charitas qua nos singulariter complexus est, nos velut peccatis immortuos, fide in Christum excitatos, ad vitam re uocauit, quem locum ita enarrat Caluinus, <sup>Caluin⁹ in</sup> vt totam nostram salutem Dei bonitati ad- <sup>cōmenta-</sup> scribendam esse existimemus. Non quod <sup>rīs in Epe-</sup> priores Deum dilexerimus (vt inquit Ioan- <sup>stolam ad</sup> nes) sed quia ipse prior dilexit nos. Idq; E- <sup>Ephes.</sup> phesios docet Paulus, sed alio loco paulò a- <sup>I. Joan. 4.</sup> liter, quamuis ad eūdem scopum collimet, interpretatur: nempe, vt vel Abrahamū A- <sup>Caluin⁹ co</sup> brahamique familiam, id est Iudæos intel- <sup>cione 10. in</sup> ligamus ex Chaldeis natiōe idololatriæ de- <sup>epistol. ad</sup> dita, in Chanaanæ regni cœlestis (vt loquū- <sup>Ephes. quæ</sup> tur (id est futuræ felicitatis typum ascitos: <sup>gallice scri</sup> quorum et si patrem se Deus declararat, ta- <sup>pta est.</sup> men spe duntaxat patrem experiebātur, do- nec vmbbris reiectis, vnicō Christi sacrificio reconciliati, patrem re ipsa sunt experti, & vitæ cœlestis per Christum compotes facti:

*Concio de sanctif. infant.*

vel ut Paulum, reliquosq; ex Iudaismo, ceteris reiectis Iudeis, ad Christianismum vocatos interpretemur. Sic autem se ex utero matris à Deo selectum, & eiusdem gratuita

*Galat. i.* bonitate vocatum scribit Paulus, ut Christum annuntiaret, atque Euangeliū longè, latèque promulgaret. In hāc sententiam „ cūdem locum interpretatur Hieronymus.

*Hieron. in cap.* „ Ante prædestinavit Deus (inquit) quod erat his temporibus completurus. Utrobīq;

*2. Epist. ad Ephes.* igitur sicut supra in Iacobo diuinæ electio- nis, aut vocatiōis, vt scribit Theophylactus

cuius vim Christo velut sequestro sensim, habemus exemplum, nec peccatum, gratiamque simul homini inesse inferre inde possumus. Illud item diuinę clementię per familiare est, vt eos qui imprudentes errāt, quemadmodū etiam de se testatur aliquando Paulus, gratia sua illustret, & veræ vitæ,

„ id est, suę foelicitatis faciat cōpotes. Quinetiā suos omnes prior ad se vocat De⁹, prior „ ipse eligit, ac diligit (inquit Ioannes) nec fieri poterat, vt denuò nasceremur, vt scribit

*Basilius de bapt.* Basilius, nisi regenerandos præuenisset Dei gratia. Commēdat enim (inquit Paulus) di- lectionē suam erga nos Deus, quod quum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Multo itaque magis iustificati

Cati nūc in sanguine ipsius seruabimur per ipsum ab ira. Si enim quū inimici essemus, reconciliati sumus deo per mortē filij eius, multo magis reconciliati seruabimur in vita ipsius. His veluti quatuor columnis fulcitur commentitia Caluinianorum sanctifica-  
tio, quę si prostratę omnino nō sunt, at certè multum inclinatæ, disiectæq; mihi videtur, vt totum edificium subitam iam, certamque minetur ruinam. Verum enim uerò ut quam primū prorsus ruat, cōficere nostrum erit. Id autem fiet, si quae illi nostrorum argumentis respondent, deinceps explicabimus, atque ipsa explicatione cōuellemus.

**S**i in matrum vteris infantuli sancti *primas* sunt (inquit nostri) baptismio opus *tholicorū* nō est, aut saltem necessariò infantibus *obiectio ad ius* iam in lucem æditis is adhibendus non est. Si enim sancti sunt, toti sancti sunt: partim *versus infantū san* autem sanctos, partim impuros, peccatoq; *etificatio-* inquinatos nemo dixerit. Nā quemadmodum totū corpus possidet sanitas, nec qui vertigine, aut podagra, aut alicuius deniq; membra vitio laborat, sanus verè dici potest. Sic & sanctitas totum hominem possidet, possidet (inquam) alia ratione, magisq; quam sanitas: Sanitas enim corpori inest,

*Concio de sanctif. infant.*

quod in multa membra diuiditur, quorum  
alia sana, alia cœgra esse possunt. At sanctitas  
ineſt animo, qui in parteis tribui, diuidique  
non potest: aut igitur vnuſquisque sanctus,  
aut impurus fit necesse est: nec qui peccati  
labe infectus est, sanctus dici vlo modo po-  
test. Peccatum propriè semper accipio, vt  
gratię opponi solet, quod mortem affert, &  
sempiterno supplicio addicit. De peccatis  
leuioribus longè alia ratio est, de quibus lo-  
» ãnes: Si dixerimus, quoniā peccatū nō habe-  
» mus, ipſi nos seducimus, & veritas in nobis  
» non eſt. Nec magis humanam imbecillita-  
tem peccato originis propagatam, (quam  
etiam in tinctis relinquere solet) excludere  
tentamus: quæ non obstat quominus pijs e-  
tiam paulò sancti subinde dicantur. Vti ne-  
mo tam exacte sanus eſt, quī aliqua (que ta-  
men corpori nihil obest) humorum haud  
prorsus æqua proportione commixtorum  
intemperiē laboret. Quum igitur in matrū  
vteris sanctificati sint infantuli, baptismo  
cuius peccatorum fordes eluere proprium  
eſt, sanè non indigent, aut non ita indigent,  
vt sine illo salutem consequi non possint.  
Caluiniani contrariū pronuntiatum profe-  
runt, idque confidenter afferunt: neminem  
ad baptismum recipiédum, nisi de eius san-  
ctitate

Etitate cōpertum sit, aut sperari iure posset. Quod exemplis Abrahāmi, Corneliique illius Centurionis confirmare nitūtur: Nam de Ioanne mox in proxima ratiocinatione agemus. Abrahāmus (inquiunt) antequam circuncideretur, iustitiae laudem fide asse-  
quutus est, iustūsque palam est pronuntia-  
tus. Cornelius antequam tingeretur, spiri-  
tus sancti est illustratione donatus. Sed nos  
ex vno, atque altero exemplo, axioma in ge-  
nere posse constitui pernegamus. Et induc-  
tionē dialectici infirmū argumentandi ge-  
nus vocant, nisi quod in paucis probatum  
est, idē in omnibus comprobetur. Quod in  
Abrahāmo priuilegium quoddam ac sin-  
gulare diuinæ beneficentię exemplum fue-  
rit ante circuncisionem collata iustificatio,  
vel id docet, quod omnes abrahāmi poste-  
ri, antequam fide iustificantur (vt theolo-  
gorum verbis vtar) circuncisi octauo die fu-  
erunt, paucis exceptis, de quibus sub huius  
concionis finem agetur. Ita in Abrahāmo  
fides, ac iustificatio circuncisionem anteu-  
terunt, in eius posteris vtrāmque circūcisio  
anteuertit, vt docte etiam animaduertit Au-  
gustinus. Priuilegium quoque in Cornelio  
fuisse, quod ante baptismum spiritus sancti  
vīm admirabilem sit expertus, non ego so-

*Augu. de  
bapt. cōtra  
Donat. lib.  
4. c. 24.*

C iiiij

*Coneio de sanctif. infant.*

Ius assero, nec tamen antiquos illos nostræ religionis duces, propagatorésque proferā, doctores (inquam) ecclesiasticos, quos egrè atque iniquè Caluiniani recipere, & plerūque malè accipere solent. Caluinum igitur proferam, à quo ne discedat, magna illis religio est: de cæteris multum solliciti non sunt. Is itaque aduersus Seruetū disputans,

*Caluinus  
instit. lib.*

*4. cap. 16.  
sec. 31.*

*Locus ex gallicè scri* tatis est in primis prædicadæ: Vti Eunuchi, pta institu & Samaritanorum exempla declarant, quitione trans latus.

*Acto. 8.*

dum diuina prouidentia indicauit. Quanquam Eunuchi exemplum falsò propositum est. Et Caluinum memoria lapsum esse constat. Neque enim an à baptismo, an ante baptismum, imò an omnino spiritum

*Acto. 19.*

sanctum Eunuchus receperit, vsquam proditū est. Sed duodecim Ephesios Pauli ministerio tintos addere quis merito potest.

Eā porro diuinę beneficētię veluti formulā passim obseruari solere, vtc ódonata noxa spiritus sanctus cōferatur, docet Petrus: Resipiscite (inquit) & vnusquisque vestrum tingatur, vt peccatis remissis spiritus sancti dono

*Acto. 2.*

dono cumuletur. Id enim ordo exigit, ut quis primum noxa condonata, Satanæ quasi vinculis soluatur (omnes quippe natura Satanæ nexu obligati sumus) mox Christo vendicante in eius possessione, familiamque perductus, succedente spiritu sancti illustratione, ac sanctitate donetur. Nam quemadmodum, nisi purgato morbo, sanitas redire non potest: ita nisi purgata noxa, innocens, sanctusque esse nemo potest. Peccatum gravissimum animi est morbus, sanctitas certissima, praesentissimaque eiusdem est sanitas. Et quemadmodum sanitas cum morbo coire non potest, ita nec sanctitas cum peccato simul cōsistere vñquam potest. Nascimur Satanæ serui, excutienda aut redimenda est seruitus, ut simus liberi: siquidem Satanæ seruus, idem & Christi esse non potest. Christi autem seruitus ipsissima est libertas. Idem porro ab utroque domino simul vñdicari nequit. Desinat igitur vñusquisque primum Satanæ mancipio teneri oportet, ut Christi spiritu frui, eiusque sanctitate perfundi possit. Nonne sanctificationem sanctitas, eiusque effectus, & vita æterna, peccatum originis impuritas, & mors peccati quoque effectus, ac condénatio (ut inquit Paulus) necessario consequuntur? Quomodo igitur

Roma. 5.

*Concio de sanctis. infant.*

tur in eodem infante quæ se mutuò intermunt, & se inuicem priuanteis producunt effectus, conuenire possunt? Hinc quām inconsideratè ex vno, atque altero exemplo suum illud axioma, ad omneis vtique Christianos ex æquo pertingens, Caluiniani instruxerint, satis (ni fallor) comprobatū est. Et id quidem Caluinus ipse in Serueto acriter reprehendit, ac nimis crassæ stupiditatis arguit, nec suis (opinor) si adhuc superstes esset, equior futurus. Etenim aduersus illos pugnat totis viribus, vnāque cum nostris nisi baptismus præcedat, spiritum sanctum negat infundi. Si quid præter ordinem fit, id axiomatis veritatem nō euertit. Quod autem sacramenta hoc loco nuda collatæ nobis gratiæ signa Caluiniani esse contédunt: Id, ne disputationis ordo perturbetur, in extremam hanc orationem differemus, atque eorumdem vim, præsertim baptismi, paucis edifferemus.

*Secunda ca-  
tholicorum  
objec<sup>t</sup>. ad-  
uer. Calui-  
nianorum  
sanctifica-  
tionem.  
Psalm. 50.*

**S**E C V N D O loco hereditariæ Caluinianorum sanctitati illud Dauidis opponere solemus, quo se ex conceptu, ortuq; peccato inquinatum esse testatur. Quod de mortalibus vniuersis sacrarum literarū peri- ti verè dici, sed & Caluiniani quoque contentur. Si autem id recipimus, ex conceptu fan-

sanc*tus esse nemo potest.* At Caluiniani Ioannem Baptistam ex conceptu , ortuq; impurum,nihilominus in matris vtero purificatum , imo verò ingenti diuini spiritus vi fuisse cumulatum inferut, atque ex hoc exemplo,aliisque aliquot rationibus, vt hanc nostram obiectionem eludant: alterum nō minus quam quod priore loco ppositum est,quinetiam magis falsum axioma constituant: Eundem scilicet hominem & peccato conspurcatum simul,& Deo acceptū esse,aut(vt vulgo loquuntur)eundem hominem simul,& in peccato,& in gratia esse ali quādo posse,imo verò semper esse.Hoc est latens in se bellum alere,gratiam simul atq; peccatū : illis(vt mihi videtur)philosophis persimiles,qui omnia velut corruptiōi subiicientes, ex concordia discordiāque totam mundi machinam, & cōditam primum esse,& constabiliri,sustentarique voluerunt: quod enim illi de mundo vniuerso qui plē risq; sui partibus, sed diuersis,contraria eodem tempore recipere potest . Hi de homine minore mundo μικρόοσμοι græci philosophi appellat, pronuntiant: nisi quod isti longè magis absurdā inuehunt: In animo enim qui simplicissimus est,& in parteis(vt antè dixi)tribui, diuidique non potest, pri-

*Concio de sanctif. infant.*

uantia, & quæ se mutuò interimunt simul collocat. Verum enim uero ut hic locus cōmodius tractetur, repetēda primum, atque accuratiū expédēda est illa, cui<sup>o</sup> paulò antè memini Adami, Christiq; collatio: Mox ad Caluinianorū rationes quib<sup>o</sup> istud axioma fulciunt, refellendas descendemus. Ut Adamus inficit transfuso originis peccato, ita suos Christus sanctificat peccatis solutos, atque purgatos. Hic enim prim<sup>o</sup> nostrę iustificationis est gradus, ut peccata primo loco remittantur, nostrūmque hoc velut æs alienum dissoluatur: mox accedat Christi gratia, quæ certa nostræ libertatis est vindex, hominémq; soluto nexu sanctificat. Illius omneis moderatur actiōes, & ne de via aberret, recta ad æternum illud beatorum animorum domicilium perducit. Si igitur infantulos in matrum vteris sanctificat Christus, ut peccatum originis, quo illi inficiuntur, prius iisdem remittat necesse est: ne omnino præposterè agat, quod illi diuinę men ti tribuere nefas. Sic gratiam, peccatūmque eidem simul homini inesse non posse satis constat: quod tamen Caluiniani tanta confidentia inculcant, ut eorumdem impudentiam ne magis, an inscitiā mirari debeamus cōstituere vix possimus. Sed ut omnino il-

lis

lis os istud obturemus, ex præscriptis Calui- *Cal. instit.*  
ni verbis agamus. Is summam nostræ iusti- *lib. 3. c. II.*  
tiæ in peccatorum remissiōe collocat, imò *seq. 21.*  
verò iustitiam nostram peccatorum remif-  
sionem esse definit. Rationem etiam addit, *Esa. 59.*  
quæ vt facilius perspiciatur, locum ipsum *" Augu."*  
inseram. Audimus ( inquit ) peccatum di- *" lib. 1. ad*  
uisiōne esse inter Deum & hominē: alienū *" uers. Pe-*  
à Dei iustitia esse, quicquā commercij ha- *" la. c. 20.*  
bere cum peccato: Quē autem Deus in con-  
iunctionem recipit, eum dicitur iustificare: *"*  
quia nec recipere in gratiā, nec sibi adiun- *"*  
gere potest, quin ex peccatore iustū faciat: *"*  
Istud addimus fieri per peccatorum remif- *"*  
sionem. Et paucis interiectis: Cōstat itaque *"*  
quos Deus amplectitur, non aliter fieri iu- *"*  
stos nisi quod absterfis peccatorū maculis *"*  
purificantur: vt talis iustificatio, uno verbo *"*  
appellari queat, peccatorum remissio. Qui *"*  
locus mihi significantius videtur expre- *"*  
sus, copiosiusque tractatus, vt cætera om-  
nia, in ea institutione quām Caluinus senex  
paulò antè quām ē vita excederet, gallicè  
scripsit, & tanquam commētiorum suo-  
rum omnium coronidem publicè ædidit.  
Itaque cùm Caluini institutionē nomino,  
postremam hanc intelligo, Christianam  
ille vocat & inscribit: Sed nāt' ἀγτίφραση, vti

*Concio de sanctis. infant.*

*Iob. 2.* sacram auri famē vocat poeta, vel vti Iobus  
*3. Reg. 21.* Deo benedicere iussus item Nabutha quasi  
Deum, ac regem benedixisset, id est, maledi-  
ctis infectatus esset, damnatus est: Antichri-  
stiana enim verè dici potest, infelix vates,  
& Antichristi iamiam aduentantis (vt mihi  
quidem videtur) prænuncia. Vt ad rem re-  
deam. Si nec quemquam sibi adiungere, nec  
in gratiam recipere potest Deus, quū ex pec-  
catore iustum faciat, idque fieri peccatorū  
remissione necesse est. Infantulos igitur in  
matrum vteris conclusos, nec sibi adiunge-  
re, nec in gratiam recipere, nec sanctificare  
(vt loqui mallunt Caluiniani) potest Deus,  
quim ex peccatoribus iustos faciat, peccato  
originis, quo vno illi illigantur, remisso.  
Hinc duo axiomata necessario emergunt:  
Alterum peccatum & gratiam simul eidem  
infantulo inesse non posse: Quod Caluinia-  
ni confidéter afferunt. Alterum si infantu-  
los in matrum vteris in gratiā recipit Deus,  
idque nisi peccato originis remisso fieri nō  
potest, eodem nasci puros, & peccati illius  
prositus immunes. Quod tamen illi negant,  
& peccato inquinatos nasci contendunt.  
At de adultis duntaxat (inquiet aliquis) lo-  
quitur Caluinus. Sanè in genere vtrumque  
axioma pronuntiauit, haud quemquam in  
gratiā

gratiā à Deo recipi, quin prius ex peccatore iustus fiat, quod in vniuersa humana natura verum est: Nam vt rectè ex Esaia, Augu-

*Esa. 59.**" Augu-**lib. I. ad-**uersus Pe-*

stinoque excerptis Caluinus, peccatū semper, inter Deum & hominem separatio est.

*lagianos,**cap. 20.*

Tum verò iustitiam nostram esse peccatorum remissionem ait, quod de adultis pariter atque infantulis verè quoque pronuntiatur: sed in alium sensum, quām Caluinus interpretatur: nempe iustitiam vtrisq; non posse conferri, nisi peccatis prius remissis. Nam idem in vtrisque iustificationis ordo, gradusque obseruatur. Si tamen vera esset illa iustitiae à Caluino proposita descriptio, iustitiam (inquam) esse peccatorum remissionem, non minus profectò in infantulis, quā in adultis locum haberet. Ergo ne tatus doctor secum pugnat? pugnat nimirum, & aut peccatum originis infantulis nondum in lucem æditis, vel baptismo nondum initiatis inesse neget (quod minimè vult) aut eosdem nisi quid baptismi vicem impleat, ante baptismum sanctificari inficietur, aut quosdam in Dei gratiam receptos, quos ex peccatoribus iustos non fecerit Deus, fateatur necesse est: sed istud mox etiam fusiùs tractabitur.

Nunc

*Concio de sanctif. infant.*

**N**VNC quas hoc loco suo axiomati Caluiniani rationes astruūt, persequamur: Ioannem baptistam in peccato conceptū natumque aiunt (sic enim loqui solent) nec minus in matris vtero exuberāti diuini spiritus gratia perfusum: Hinc peccatum, gratiamq; eidē simul inesse inferunt. Nos perinde atque illi Ioannem in peccato conceptum fatemur: in peccato autem natum per negamus, quod eundem in ipso matris vtero in gratiam receperit Deus, quem nisi peccato remisso recipere non potuit, vel teste Caluino. Quī autem Ioannem in peccato natum Caluiniani probabunt? proferāt locum ē sacrī literis: sin nullum habent, & ad thesim confugiunt, omneis mortales ex cōceptu, ortuque peccato esse infectos: Confessio Caluini. Ita nondum res est, imò nihil prorsus actū li. 4. c. 16. est. Aio singulare fuisse diuinæ beneficētæ sect. 17. ex exemplum, quod Caluinus ipse non negat, in app. libel. vt Ioānis munus, ministeriumq; declarare de vera eccl. ref. ratione Ieremia. I. Hieron. in Hieronymus: verum ubi legerit non video. c. 20. Mat. Hiero. ad De Afella quoque virgine, eadem scribit, Marcellā. vti permulta quotidie diuinæ bonitatis experimur exēpla. Maius quiddam de beata virgine,

virgine, Domini nostri Iesu Christi matre, *Cyrillus li-*  
*Theologi tradiderunt, eā scilicet ne ex con-*  
*ceptu quidem aliquando fuisse pollutā: sed*  
*ex his paucis exemplis thesin confidere non*  
*licet. Imò verò quoniam ea vt singularia*  
*quædam Dei dona Ieremiæ, ac Ioanni pri-*  
*uatim concessa narrantur: Contrariam the-*  
*fin merito cōstituere, atque infantes in ma-*  
*trum vteris nō sanctificari, sed impuros na-*  
*sci affirmare possimus.*

**P**RO FERT V R & Pauli locus à Caluinia-  
 nis, quo carni suæ ita insidere peccatum  
 is fatetur, vt quod odit malum, agat, quod  
 optat bonum, non agat: Hac enim loquen-  
 di formula vtitur Paulus. Atq; interim ma-  
 gno supercilio damnātur à Caluinianis ec-  
 clesiastici scriptores, qui Paulum sub alio-  
 rum persona loquutum monumentis suis  
 prodiderunt: Et in contemptum, Romanæ  
 ecclesiæ doctores appellantur. Et ne quis è  
 vulgò obscuros aliquos interpretes intelli-  
 gi existimet, eosdem de nomine nostrè ope-  
 ræ pretiū est: Nomina siquidem Caluiniani  
 supprimunt, siue de industria, siue quod il-  
 los non legerint. Sed ex Caluino suo dun-  
 taxat ita vel audierint, vel excerpterint. Sūt  
 autē hi, Origenes, Gregorius (vt refert Au-  
 gustin⁹ & Nanziāzenū intelligi puto) Chry-

*bro 6. in Io*  
*annē. ca. 15*

*August.*  
*de natura,*

*& gratia.*

*cap. 36.*

*Petrus Ga-*  
*læti. de ar-*  
*canis cath.*

*verit. lib.*

*7 cap. 5.*  
*Tho. par. 3.*

*q. 27. ar. 1.*

*Roma. 7.*

D



*Concio de sanctif. infant.*

sostomus, Theodoretus, Theophylactus, in  
ter Græcos. Inter Latinos Hilarius, Ambro-  
sius, Hieronymus, & aliquando Augusti-  
nus, quamuis eam sententiam postea retrac-  
tarit: sed ita ut priorem non damnet, cæte-  
rum alteram cōmodiorem putauit. Addere  
possumus ex recētioribus Erasmus. Quos  
ē Caluini officina prodiens nescio quis, qui  
vix vnam, aut alteram latinam, grēcam au-  
tem ne vllam quidem syllabam nouit, tan-  
quam seuerus quidam Aristarchus, cōpo-  
fito admodum vultu, graui sanè sententia,  
imperitiæ damnat atque tarditatis. O tem-  
pora, O mores, exclamabat olim Latinorū  
oratorum eloquētissimus: quod hodierno  
die, viri Metenses, in re magis seria maioris-  
que momenti nobis nostro iure exclamare  
profecto licet. Tum enim reipublicæ, hīc  
religionis causa vertitur. In quę autem tem-  
pora incidimus? quos hominum mores pa-  
timur? Ecclesiæ quę se ad primæ illius apo-  
stolicæq; ecclesiæ normam compositas ia-  
ctant, quæ se antiquam illam integritatem  
referre nomine præ se ferunt, quos habent  
nouæ istius doctrinæ duces, atque propug-  
natores, nisi aut ignotos, aut qui monachif-  
mum abiurarit, aut sacrarum literarum ru-  
des, aut vitæ fordibus infames, aut insignis  
alicu-



alicuius facinoris ergò patria extorres? Et tamen hisce bonis artibus instructi, atq; ita de religione benemeriti (si Deo opt. max. placet) quem nostrorum, imò quem antiquorum episcoporum atque scriptorū præfese nō fastidiunt? quo supercilio vtrósque aut conutiis lacerant, aut tanquā rudes despiciunt? Itaque hoc assequuntur, vt quum & veteres, & eos, qui superstites de republi-  
ca Christiana benemerentur, vbique inf-  
stetur, se ab vtrorumq; doctrina, & vniuer-  
sæ ecclesiæ consensu prorsus alienos esse te-  
stentur, hoc est, se conceptis verbis hære-  
ticos esse pronuntient.

**V**T AVTEM ad Pauli locum nuper cōmemoratum redeam, Aio vtramq; interpretationem, vt vel ipse Paulus de se, & ex suo sensu, vel de aliis illorum quasi personam induens loquatur, mihi probari. Et Caluinus ipse, quāquam Paulum sub alio-  
rum persona loqui negat, tamen nō solum de se, sed & de fidelibus differere cōfitetur: in quibus viget aliqua spiritus gratia, quæ „ Caluin⁹ in  
illustret sanæ mentis cōsensum cum iusti- „ Epist.  
tia legis, quia in carnem non cadit peccati „ ad Rom.  
odium. Hæc enim illius verba sunt. Calui- „  
nianis itaque tam acutis rerum peruestiga- „  
toribus optio detur, vtram interpretationē

*Concio de sanctif. infant.*

malint. Et quandoquidem priorem solum  
recipiunt , agite, periculum faciamus, quid  
illorū argutiæ assequātur: Paulus(inquiūt)  
“ à Deo selectus peccatum carni suæ insidere  
“ palam fatetur . Si à Deo selectus erat, Deo  
“ certè erat acceptus,& carnem nihilominus  
“ peccato prurientem,inquinatamque expe-  
“ riebatur : gratia igitur & peccatum eidem  
“ simul homini inesse possunt. Primum aio  
“ illationē non satis cohērere. Non enim qui  
semel à Deo est selectus, Deo semper est ac-  
ceptus,aut( vt loquuntur) nō semper is qui  
vas est electiōis,in gratia est. Selectos à Deo

*2.Reg II.*

*Matth. 26*

tamē adulterio se polluit Dauid,aut Petrus  
dominum nostrum Iesum Christum agno-  
scere detrectat,periuriōque se deuouet,neu-  
ter tum Deo acceptus fuit. Alioqui & adul-  
terium, & perjurium , & deserta religio,ne  
peccati quidem loco habeantur. Alioqui e-  
lecti nunquam saltem peccato,quod mor-

*Caluinus* tale vocant, peccarent , vt temerē Caluinus  
*instit. li. 3.* aliquando censuit,dum peccata non ex rei,  
*ca. 4. sect.* sed ex subiecti,& eius qui peccat natura di-  
28.

stinguenda existimauit: hoc est,dum electo-  
rum peccata omnia venialia, impiorū mor-  
talia(vt loquuntur) esse cōtendit: At rem,id  
*Rom. I. ,* est,factum ipsum,respexit Paulus. Qui talia  
agunt

agunt(inquit) digni sunt morte. Imò verò „  
 Christus: Qui irascitur fratri suo , reus erit „  
 iudicio. Qui autem dixerit fratri suo,racha, „*Matt. 5.*  
 reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, „  
 reus erit gehennæ ignis . Quinetiam Calui- „  
 nus alio loco electos grauissimè nonnun- *Calvinus*  
 quam peccare non negat. Peccatum igitur *instit.lib.*  
 an venia sit dignum , an mortem pariat, læ- *4.c.1. sect.*  
 taléque sit,nō eius qui committit æterna ele *24 et seq.*  
 ctio,aut prædestinatio, sed res commissa di-  
 stinguit. Tum vt penitiùs rem excutiamus,  
 addo peccatum impropriè,nec vt gratiè op-  
 poni solet,hoc loco usurpari. Nā tum mor- *Roma. 5.*  
 tem affert (vt docet Paulus) & nos diuinæ  
 gratiæ beneficio priuat . Concupiscentiam  
 enim(ut hoc nomen theologi usurpant)in-  
 telligit Paulus: antiqui scriptores fomitem  
 interpretantur,hoc est,aculeum quendā na-  
 turæ nostræ à prima ipsius origine insitum,  
 ex quo Adamus in Dei preceptū olim pec-  
 cauit , peccatiq; reliquias quasdam posteris  
 suis reliquit.Hāc scilicet concupiscentiam,  
 quæ in his, qui baptismō sunt initiati , nec  
 peccatum est , nec propriè peccati nomine  
 cēsetur:Quamuis peccatum interim à Pau-  
 lo, sed impropriè nōnunquam appelletur,  
 quod peccatorum sit quoddam incitamen-  
 tum.Concupiscentiam autem nisi accedēte

*Concio de sanctif. infant.*

consensu nō esse peccatum multis locis do-  
*Aug.li.1.* cēt Augustinus, quorum aliquos insignio-  
*cap.23.de* res, vt tota res magis illustretur, hūc inferere  
*nupt. et „* non alienum putau. Nam ipsa quidem cō-  
cōcupis. „ cupiscentia (inquit) iam non est peccatum  
„ in regeneratis, quando illi ad illicita opera  
„ non consentitur; atque vt ea perpetrent à re  
*cap. 26. „* gina mente membra non dantur. Et paulò  
*eiusdem „* pōst. Sic autē vocatur peccatum, quia pec-  
*libri.* „ cato facta est, quum iam in regeneratis non  
„ sit ipsa peccatum, sicut vocatur líqua, locu-  
„ tio quā facit lingua, & manus vocatur scri-  
„ ptura quam facit manus: Itémque sic voca-  
„ tur peccatum, quia si vincit, peccatum facit.  
„ Sicut vocatur frigus pigrum, nō quod à pi-  
„ gris fiat, sed quod pigros faciat. Et alio loco:  
„ In eis ergo qui regenerātur in Christo, quū  
„ remissionem accipiunt, prorsus omniū pec-  
„ catorum, vtique necesse est. Ut reatus etiam  
„ huius licet adhuc manentis concupiscentiæ  
„ remittatur, vt in peccatum (sicut dixi) non  
„ imputetur. Nam sicut eorum peccatorum  
„ quæ manere non possunt (quoniam quum  
„ fiunt prētereunt) reatus tamen manet, & ni-  
„ si remittantur, in æternum manebit. Sic il-  
„ lius concupiscentiæ, quando remittitur, rea-  
„ tus aufertur.

Possem

Possim & alios ex Augustino locos proferre, quibus concupiscentia noc accende  
dente consensu peccatum non esse conuin-  
cit, sed illis breuitatis studio, pretermis-  
sis, idem ex Paulo confirmabo. Quod ut magis  
perspicuum fiat, in quot & quas parteis ho-  
minem partiatur Paulus, videre operæpre-  
tium est: Ipse autem Deus pacis (inquit) san-  
ctificet vos totos, ut integer & sine culpa ve-  
ster spiritus, & anima, & corpus in aduen-  
tum Domini Iesu Christi reseruetur, aut si  
ita vertere mauis, in conspectu Domini no-  
strri Iesu Christi reseruetur. Sic enim habet  
græcus codex.

*τὴν παράστασίαν τῆς Κυρίου ἡμῶν ἵνος Χριστὸς τηρηθέντην*  
quam interpretationem à Pauli sensu non Hierony-  
alienā arbitror, licet antiqui scriptores prior  
rem sequantur, quam etiam valde ample- quest. 12.  
ctor. Animaduertitis tres hominis parteis, ad Hedib.  
spiritum, animam, corpus, siue carnē. Ani- Chrys. ho-  
ma intermedia, inter spiritum & carnē col- epist. 1. ad  
locatur: sicut intermedia quoque est prin- Theophyl.  
ceps animæ facultas, nempe voluntas. Ea si in c. 5. eius  
vna cum spiritu coniuncta erit, pariet fru- dem epist.  
ctus spiritus, hoc est bona opera, & omnis Theodoret.  
generis virtutes, quas diuini spiritus gratia  
homini infusa statim parturit, voluntas ac- ibidem.  
cedens parit. Tum enim spiritui imperanti,

*Concio de sanctif. infant.*

voluntatiq; pariter trahenti , caro vtrique cædens , victaque parere cogitur . Si vna cū carne neglecto spiritus imperio voluntas coniungetur , Carnis fructus edet (vt loquuntur theologi ) hoc est , peccata , quæ instigante illo naturali aculeo (cui⁹ paulò ante memini ) Caro quasi concipit , voluntas comes consentiensque perficit , atque in lucē ædit :

*Cicero. l. 4. tuscus. que stionum.* Quamquam voluntatem aliter Stoici defini erunt , vt ea sit , quæ quid cum ratione considerat : quæ autem aduersus rationem incitata est vehementius , libido vel cupiditas effrænata dicitur . Non sum nescius , varias in hunc Pauli locum extare antiquorum scriptorum interpretationes , quod per spiritum , alij gratiam in baptismo receptam , alij omnia in genere Spiritus Sæcti dona , alij animæ partem , quæ rationis est compos , intellecterit . Sed omnes uno ore , inter spiritū , atq; carnem , voluntatem interiectam , intermediamq; confitentur , sine qua naturalis ille carnis aculeus , in iis , qui baptismi gratiā

*Tertul.lib. de anima.* receperunt , nec verè dici , nec esse peccatum potest . Id explicat in hęc verba Tertullian⁹ :

„ Sequitur animam nubentem spiritui caro ,

„ vt dotale mancipium , iam nō animæ famu-

*Cypria-* „ la , sed spiritus : O beatum connubium , si nō nusser- „ admiserit adulterium . Id quoque indicat

Cyprianus .

Cyprianus. Nam quum corpus è terra , & „mone de  
spiritum possideamus è cœlo , ipsi terra & „ oratione  
cœlum sumus,& in vtroq; id est , corpore „ dominii-  
& spiritu, vt Dei voluntas fiat, oramus . Est „ ca.  
enim inter carnem & spiritum colluctatio, „  
& discordantibus aduersus se inuicē , quo „  
tidiana congressio, vt non ea quę volumus, „  
ipsi faciamus, dum spiritus cœlestia , & di- „  
uina quęrit, caro terrena , & secularia con- „  
cupiscit: Et ideo petimus impēse inter duo „  
ista, ope, & auxilio Dei concordiam fieri, vt „  
dum & spiritu, & carne voluntas Dei geri „  
tur, quæ per eum renata est, anima seruetur. „

Cypriano assentitur Origenes. Frequenter „ origine in  
in scripturis inuenimus (inquit) quod ho- „ cap. I. ad  
mo spiritus, & corpus, & anima esse dicatur. „ Roma.  
Verum quum dicitur, quia caro concupis- „  
scit aduersus spiritum, spiritus autem aduer- „  
sus carnē, media proculdubio ponitur ani- „  
ma, quæ vel desideriis spirit⁹ acquiescat, vel „  
ad carnis cōcupiscentias inclinetur . Quin- „  
etiam Hieronimus scribit, inter opera carnis „ Hier. ad  
& spiritus, medium animam fluctuare, nūc „ saluini-  
hæc, nūc illa cupientem . Quod si hæc na- „ anūdevis  
turæ nostræ corruptio, quam concupiscen- „ duitate ser  
tiam vocamus, ab Adamo in totam eius po- „ uanda.  
steritatem propagata, in tinctis verè pecca-  
tum esset, etiamsi nihil eidem assentiamur,

*Concio de sanctif. infant.*

maior nimirum esset lætalis, atque hæreditaria ex Adamo diffusa labes, quām Christi viuificantis gratia, quod tertia sua ratione Caluiniani sedulò negat. Verè enim hominem illa inficeret, verè ista non purgaret.

*Muscul. in  
c. 17. Gene.  
parte 2. ob-  
seruatioe. 5* Hinc quoque damnatur & temeraria Musculi assertio, qui peccatum originis nec iustitia fidei, nec circuncisiōe signaculo iustitiae fidei, nec baptismo re ipsa tolli existimauit. Alioqui (inquit) si in Adamo sublatū esset, ita sanè sublatum esset, ut omnis eius posteritas ab hac labe immunis prorsus fuisset. Id enim necessariò non consequi pàlām est: Quod in Adamo peccatum ipsum quidē re véra sublatum est, ut etiam baptismo ab illo in nos propagatum aufertur, nō autem peccati illius primi priuata affectio, siue proprietas, aut poena (ut docet Augu-  
*Aug. lib.  
14. decimi.  
Dei. c. 3. et  
lib. 15. c. 6.* stinus) qua ex Adami posteris vnumquisque qualis natus est, tale quoque gignit. Ex hoc igitur Pauli loco qui de cōcupiscentia cui adiunctus cōsensus non est, intelligi debet, præsertim si Paulum loquentem facimus, perperam vel nos peccatis semper esse com- maculatos, conspurcatosque, vel peccato simul, gratiāque partim sordidos, partim pu- ros, sanctosque Caluiniani inferunt: quod enim peccatum vocat Paulus, peccatum re-

uerā

uera non est, nec diuinæ gratiæ opponi debet. Quod autem Paulus se quod optat bonum, non præstare, & quod odit malum, patrare ait, id recipit, ita accidisse interpretari non debemus. Nam concupiscentiæ illius, de qua iam satis multa diximus, naturam, ingeniumq; depingit: quæ nos huc, illucq; proclives impellit, atque incitat, sed incitato retinet homo intimus, siue interior (vt Paulus loquitur) nōsque in officio cōtinet: Sicut & mox legē diuinam sibi pergratam καλὰ τὸν ἔσω ἀνθρώπον, id est, quod ad interiorē hominē attinet, idem profitetur. Paulum <sup>philip. 3.</sup> siquidem non ita vitiis addictum fuisse cōstat: quem pharisaismum etiam profitentē, necdum Christianismo imbutum, vitę integratas eximia commendabat.

**PRO FER VNT** & Matthēum Caluiniani, <sup>Matth. 6.</sup> nihil sanè tale meditātem, & ab illorum sensu multum abhorrétem. Si peccatum & gratiam (inquiunt) nobis simul inesse non confitemur: Qui Deum vt nobis peccata remittat, patrem inuocare possimus? Si pater est, in gratiam nos recipit, acceptos habet, & peccata nihilominus interim confitemur. Deus (inquam) benignus est, clemens est, omnibus qui nomē illius inuocat, perfacile se præbet. Quotiescunq; igitur vnus-

*Concio de sanctif. infant.*

quisque resipiscit, peccatum agnoscit, Dei bonitatem implorat, Deum patrem experitur, qui paterna indulgentia filium redemptum ad se recipit, & noxam pariter condonat. Is enim apud prophetā ita nos affatur:

” Conuertimini ad me, & ego conuertar ad

*Zach. I.* ” vos. Conuersationem siue resipiscentiam sta-

” tim Dei misericordia consequitur. Et si di-

” xerimus quoniam peccatum nō habemus,

*I. Ioā. I.* ” nos ipsos seducimus, inquit Ioānes. Sed hu-

manam imbecillitatem, hoc est leuiora pec-  
cata designat, sine quibus hanc vitam viue-  
re non possumus. His præterea iam olim a-  
bundē satisfecit prodigi filij parabolam ex

*Hier. ad* ” plicans Hieronymus: Frustra quidam argu-

*Damas.* ” mentātur (inquit) nomen patris in sanctos

” tantummodo conuenire: quum etiam Deū

” patrem vocet, qui se filij nomine confitetur

” indignum: Nisi fortè ideo patrem audet

” vocare, quia plena mente conuersus est. Et

” paulò antè. Antequam dignis operibus &

” vera pœnitentia ad patrem rediret antiquū,

” Deus apud quem cuncta futura, iam facta

” sunt: & qui est omnium præscius futurorū,

” ad eius præcurrit aduētum, & per verbum

suum quod carnem sumpfit ex virgine, re-  
ditum filij sui iunioris anticipat.

Neque

**N**E Q V E verò (vt falso nobis Caluiniani  
 imponunt) hominem ad desperationē  
 adigimus, quasi semper is, omnique momē-  
 to peccatis sit inquinatus, ac quodammodo  
 cōcretus: nec magis illi καθαρότης siue pu-  
 ritatem Anabaptisticā, aut Nouatianam po-  
 tiūs, à Nouato enim primum, vel Montano  
 (vt scribit Hieronymus) inuecta est, affingi-  
 mus. Multūm vtique ab vtroque dogmate  
 abhorremus. Sed quæ illi ipsi falsa dogma-  
 ta inuechunt, eadē nobis affingere conantur.  
 Quid enim aliud sibi volūt, quū hominē ex  
 conceptu, ortūque, ac tota vita insuper gra-  
 tia præditum, pollutēmque, & peccato  
 infectum, ac quasi concretum, hoc est, &  
 deo acceptum simul, & satanæ nexum esse  
 profitentur? Atque vbi eundem ab initio  
 vsque ad extremum, à vertice ad pedes vsq;  
 (vt vulgo aiunt) omnibus inquinamentis  
 inquinatiorem reddiderunt, è Lutheriano  
 Narthecio pharmacon, quod Caluinianis  
 etiam aliquot herbis miscuerunt, quas ipre-  
 sens remedium porrigunt, quo illum licet  
 semper impurum, atque foedum, purissimū  
 tamen, sed sola inanique cogitatione perin-  
 de, ac si Homericum quendam Deum, aut  
 Ianum aliquem bifrontem depingerent.  
 (Nam reuera non ita esse ipsi quoq; confi-

Hieronim⁹  
li. 2. aduer.  
Iouinianū.

tetur) nobis deinde representet. Si quis enim Deos Homericos penitus inspiciet, competet nimis homines fuisse facinorosissimos. Binam autem homini frontem (ut quoniam Iano antiqui) ita Caluiniani attribuit, ut altera ab altera δισ δια πασῶν differat. Altera quippe cadauerosa prorsus est facies, tota vitiis cōspurcata: Altera autem eximia quedam, & ea pulchritudinis specie excellens, ut penicillo exprimi nullo modo possit. Ea verò est Christi iustitia, nobis (ut ipsi loquuntur) imputata: de qua suo loco dicitur. Nam plura nobis supersunt dicenda, quam vel cōcionis ratio, vel ppositę quæstionis tractatio fortasse patiatur. Hoc indicasse veluti per transfennam sat fuerit. Calvinianos tam ineptè hanc falsò nobis ascriptā, siue imputatam (ut illi loqui mallunt) Christi iustitiā suo errori prætexere, quam hæreditariam illam sanctitatem ab Abraham ad omnem fidelium societatem deducere tentarunt: ut ex vtraque hominem, & peccato semper inquinatum, & Deo esse gratum comprobarent.

**A**n Christi iustitiam superabit Adami peccatum? Id quidem tertia sua ratione illi pernegarunt: Atqui potuit in Adamo innatā gratiam iustitiāque veluti

Iuti proscribere, & re ipsa exterminare pri-  
mum illud peccatum. An peccatum ipsum  
non excutiet, an illas quasi postlinimio re-  
deuntes non reducet, & re vera instaurabit  
Christi gratia? Nónne quemadmodum per  
inobedientiam vnius hominis multi pecca-  
tores sunt constituti: Ita per vnius obedien-  
tiam iusti constituentur multi? Peccatum  
reipsa ab Adamo in eius posteros propaga-  
tum est: nónne reipsa à Christo ad pios om-  
nies iustitia manabit? An potuit serpens  
æneus Christi typus pristinam egrotis vale-  
tudinem reddere, Christus typo designatus, *Nume. 21.*  
depulsis animi morbis, pristinam integrita-  
tem non reddet? Præterea si iustitiæ nostræ  
summa in imputatione cōsistit, homo ex se  
se nihil habet. Omnes pfectò ex æquo iusti-  
erunt: Siquidem in se nihil habent, quo al-  
ter alteri præferatur. Quomodo igitur pijs à  
pijs, vt stella à stella different? an quod huic  
maior, q̄ illi ascribetur, aut imputabitur  
Christi iustitia? Si id ita habet, quomodo iu-  
sto præcipitur, vt iustificetur adhuc, & san-  
cto, vt sanctificetur adhuc? ex se enim nihil  
possunt. Aut quomodo iustitia illa maior,  
minorue hominibus imputabitur? An dice-  
mus quibus grauiora, aut plura peccata re-  
mittuntur, iisdens maiorem Christi gratiam,

*Roma. 5.**Apoc. cap.  
vlti.*

*Concio de sanctis. infant.*

iustitiamq; imputari : vt de illa dictum est,  
*Luc.7.* » remittuntur illi peccata multa , quia multū  
» dilexit. Ergo qui sceleratissimi fuerūt,idem  
si resipiscunt,erunt iustissimi. Qui fuerunt  
innocentes , iustissimi nunquam esse pote-  
runt.Sin dicemus quibus pauciora , aut le-  
uiora peccata remittuntur , iis vberiorem  
Christi iustitiam ascribi : Sanè in nobis sitū  
erit,vt saltem vberior Christi nobis impu-  
tetur iustitia , nempe si vel raro , vel leuiter  
dútaxat peccabimus. Adulteri fornicatores  
*I.Cor.6.* fures,auari,ebriosi aliquando fueratis ( in-  
quit Paulus) sed abluti estis , sed sanctificati  
estis, sed iustificati estis. Quomodo abluti e-  
runt,vt non sint adulteri, si adhuc in iisdem  
fordibus hærent? Quomodo sanctificati, si  
manet impuritas? Quomodo iustificati , si  
adhuc in crimine sunt , aut peccatis re vera  
purgati non sunt? At Deus peccatum non  
imputat(inquiunt). Quid est peccatum nō  
imputare,nisi remittere,& cōdonare? Nam  
cui aliquid vitio non vertitur, cui in pecca-  
tū deus non imputat (vt isti loquūtur) Sanè  
quod ad id attinet,innocēs est: hoc est enim  
peccatum non habere (inquit Augustinus)  
reum nō esse peccati: aut si peccatum Deus  
condonat,lege nos penitus absoluit. Si ab-  
soluti sumus,quomodo adhuc peccatum  
manet?

manet? Nam si de priuatis, siue singularibus peccatis loquuntur, aut actū ipsum, aut culpam intelligunt. Actus, vt adulterium, furum, & cætera id genus, præteriit, culpa condonata est. Quid igitur reliquum esse potest? Si de peccato originis interpretantur, eius quoque culpa baptismo condonatur, actus siue actio ad primum parentem referuntur. Sin prauitatē nescio quam peccatis natura insitam relinqui somniant, qua scriptura, aut ratione id probabunt? Paulum fortasse proferent, aientem aliam se sentire legem in membris suis, repugnantē legi mentis suæ, ipsūmque captiuum reddentem legi peccati, quæ membris eius insidet. Sed quæ de concupiscētia supra disputata sunt, illis abundē satisfecerint. Eadem enim, quæ ex singularibus peccatis reliquæ adhuc hę rere dicuntur, regula sunt metiēdæ: Nostri igitur gratiam, peccatūmque sibi inuicem succedere, nec vñquam vnā coire pronuntiant. Quid enim luci cum tenebris (inquit Paulus) quid iustitiæ cum iniustitia, quid Christo cum satana cōmune aliquando esse potest? Nónne exit à Saule Domini spiritus, antequam malus genius intromittatur? Nónne Paulus iubet veterem hominē exuere, vt induatur nouus? Quid autem est

*2. Cor. 6.**1. Reg. 16.**Ephes. 4.*

*Concio de sanctif. infant.*

vetus homo, nisi inueteratæ, hominémque  
inficientes peccati fordæ? Nouus, nisi pur-  
gati animi diuinæ gratiæ beneficio accedés  
puritas, splendor, atque illustratio. Hi nun-  
quā vnà coire possunt: alter alteri coedat  
necessæ est. Quemadmodum diuino spiri-  
tu instinctus, Caluinianosque iam tum ve-  
luti intuens summa cōtentione protestatur

- Hieron.* „ Hieronymus. Audiant nos (inquit) iterum  
*apolog.* „ proclamantes, veterē Adam in lauacro to-  
*aduers.* „ tum mori, & nouum cū Christo in baptis-  
*Ruffi. li.* „ mate fuscitari, perire choicum, id est, terre-  
*i. in si.* „ num, & nasci supercœlesté. Sed & hic tam  
perplexus est, obscurúsque Caluinus, vt aut  
pugnantia miscere, aut alioqui intelligi nō  
*Caluin.* „ posse videatur. Aliquando enim ita scri-  
*instit. li.* „ bit, infantes quoque ipsi suam secum dam-  
*4. ad. 15.* „ nationem à matris vtero afferūt, qui tametsi  
*sect. 10.* „ suę iniquitatis fructus nondū protulerunt,  
„ habent tamē in se inclusum semen, imò to-  
„ ta eorum natura quoddā est peccati semē:  
„ ideo non odiosa, & abominabilis Deo esse  
„ non potest. Hanc damnationem sublatam  
„ esse, & à se depulsam certi per baptismum  
„ fideles fiunt. Et paulò pōst. Iustitiam quo-  
„ que apprehendunt, sed qualem in hac vita  
„ populus Dei obtinere potest. Nempe impu-  
„ tatione duntaxat, quia pro iustis, & innocē-  
„ tibus,

tibus, eos sua misericordia Dominus habet. »

At alio loco aliud indicat, vniuersam eccle- »

siam (inquit) complectitur Paulus, vbi di- „Caluin.

cit mundatam lauacro aquæ : id circóq; in „institut.

in ecclesia infantes comprehédi palam est. „lib. 4.c.

Animaduertitis vt illic damnationem dun- „16. seqt.

taxat baptismō sublatam esse scribat, nec ta- „22.

mē infantes esse iustos, sed pro iustis solum

haberi : Hic eosdem mūdari aquæ lauacro

apertè dicat. Sed cum vna tantū macula in-

ficiantur infantes, nempe originis peccato,

hac abluta, quomodo peccatū originis ad-

huc manet? Sanè manere nō potest, saltem

vt rationem peccati obtineat : Alioqui nec

ipsum peccatum, imò nec aliud quicquam

elueretur, sed quæ peccatum consequitur,

damnatio dūtaxat auferetur. At qui eos qui

sanctificantur, non quales prius erant relin-

qui, sed ex vitiis mutari, sanctificationēq; a-

deo affectionem, aut qualitatē inhārentē „Caluin.in-

(vt loquūtur) esse idem asserit. Iustificatio- „Iustificatio. lib. 3.

nem siquidē à sanctificatione ita distinguit „II. seqt.

Caluinus, vt iustificatio imputatiōe, Sancti- „6. C. II.

ficiatio renouatiōe, atq; immutatione, vtra-

que verò simul, eodemque tempore neceſ-

fario comparetur, nec altera ab altera sepa-

rari vñquam possit. Si igitur iustificatur si-

mul, & sanctificantur infantes, iisdem non

*Coneio de sanctif. infant.*

solum ut imputetur quippiā, sed & immutetur necesse est. Quod autē immutetur, nisi naturae insita illa prauitas, quā peccatum originis vocant, excogitari nihil potest. Id itaque ut eluatur, atque baptismō expietur necesse est. Sed nec Caluino praeceptore, disci-

*Beza de  
abstersioni* pulus Beza minus obscur⁹ est. Imò verò forbus, quib⁹ tasse magis intricatus. Vbi enim confessus aspersus est est baptismum lauacrum esse regenerationem Caluinum ī nis, qua Christū induimus, aut Christo in errore. ferimur, & cōsepelimur, mox sese explicat, ac subdit: Sicut toties dicimur Christum appetere, quoties illum in verbo oblatum amplectimur, & corporis & sanguinis fieri participes, quoties sacrum illum panem fidem sumimus, & ex sacro illo poculo fide bibimus. Quatenus videlicet illis mediis magis, ac magis in dies Christo vnimur, & arius cum illo coalescētes omnia eius beneficia quotidie in nobis obſignantur. Ita etiam accipiendum tradimus, quod dicimur in baptismō Christum induere, Christo inferi & cōsepeliri, in eo ablui, ac regenerari. Dicimus enim oportere nos in fœdere cōprehendi, ac proinde in Christi possessione esse priusquam baptizemur, neque gratiam adoptionis à baptismō inchoamus (inquit) sed per eum potius dicimus obſignari. Et

paulò

pòst: Sicut prius scribi oportet diploma,  
quàm sigillum apponatur, ita oportet nos  
in Christo esse priúsq[ue]am baptizemur, ac  
proindè nos tum primùm Christo non in-  
seri quum baptizamur, sed baptismu nostrā  
in eum infisionem ob-signari: Si antè baptis-  
mum in Christi possessione sumus, & adop-  
tionis gratiam consequimur, quomodo  
infantes verè in peccatorum remissionem  
tinguntur, aut in iisdem regeneratione mū-  
datur quod generatione traxerūt? vt mox  
ex concilio Mileuitano docebimus, quod  
concilium ecclesiæ sententiam etiam Calui-  
nus appellat. Quomodo vt scribit Hierony-  
mus vetus Adam in lauacro totus moritur,  
nouus cum Christo in baptismate suscita-  
tur? Quomodo perit terrenus, & nascitur  
supercoelestis? Si enim antè baptismum in  
possessione Christi sunt infantes, peccato  
originis, quod mortem parit, infecti esse, ac  
proinde verè in peccatorum remissionem  
tingi nō possunt, neque in illis regeneratio-  
ne mundatur, quod generatione traxerunt.  
Nam quæ in iis qui Christi sunt immundi-  
tia, aut peccatum esse potest? Si immundi  
sunt, iam non Christi, sed satanæ sunt. Ad-  
dendum quod & antè baptismum, non in  
baptismo vetus homo moreretur, antè bap-

*Calvinus*  
*inst. li. 4.*  
*c. 19. see. 8.*

*Concio de sanctif. infant.*

tismum natus esset, supercœlestis, non in baptismo nasceretur (vt vult Hieronymus) nisi vtrumq; simul eodem tempore, eidem homini inesse fateri volumus, quod fieri nō posse docuimus. Quid autem aliud est vet⁹ homo quām naturę insita labes, nouus quā vi spiritus sancti facta renouatio, hominem

*ad Ti. 3.* „ sanctificans ac Christo vniēs? Nónne Paulus baptismum vocat lauacrum regenerationis, ac renouationis spiritus sancti quē effudit in nos abundē per Iesum Christum saluatorem nostrum: vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ eternæ. Baptismum lauacrum regenerationis ac renouationis diserte appellat. Si autē ob signationem regenerationis aut renouationis, aut adoptionis, siue in Christum infissionis quis interpretetur, Pauli verba nimirum, sensumq; inuertit, ac malignè peruertit. Nam si baptismus est lauacrum regenerationis & renouationis, baptismō regeneramur, & renouamur. Quomodo autem regeneramur, nisi quum ex corrupta genitura, in incorruptam, purāmq; renascimur? Quomodo renouamur, nisi cum ex iniustis iūti, ex pollutis sancti, euadimus, & in Dei gratiam recipimus? Præterea si ita esset, si baptismus nostrę adoptionis, aut in Christum

infisionis ob-signatio duntaxat esset, nōnne  
merito obiecit Eshusius ex Caluini, Calui-  
nianorumq; doctrina, nos baptismo non re-  
generari, sed salutem nostram duntaxat ob-  
signari, ac proinde sacramenta nuda esse col-  
latæ iam gratiæ signa, quod mox suo loco  
tractabitur. Quæ igitur noua isthęc est phi-  
losophādi, aut sacras literas interpretādi ra-  
tio, quā Caluiniani nobis obtrudūt? homi-  
ni peccatum, gratiā que simul inesse, hoc  
est noctem esse diem, & diem noctem, lucē  
esse tenebras, & tenebras lucem: hoc est gra-  
tiam esse peccatum & peccatum esse gratiā.  
Aut nōnne istud est, ex peccato gratiam, ex  
gratia conficere peccatum? peccati semper  
mors comes: quisquis peccato infectus est,  
satanæ membrum est (vt loquitur Paulus)  
quisquis in dei gratiā est receptus, Dei quo-  
que est membrum. Si infantuli in matrum  
vteris sanctificati sunt, membra Dei sunt,  
Si iidem peccato originis sunt inquinati,  
membra Dei esse non possunt: iidem igitur  
membra Dei sunt, & non sunt: iidem si sic  
moriuntur, ad cœlum sanctasque beatorū  
animorum sedes euolabunt: iidem quoque  
cœlo excludentur, quo peccatum penetra-  
re nunquam potest. Quæ nemō præter Cal-  
uinianos, nisi sacrarum literarum ignarus,

*Concio de sanctif. infant.*

nisi philosophiæ , nisi sensu communis ex-  
pers , nisi prorsus insanus admiserit . Quid  
enim aliud istud est, quam cœlū terræ , cœ-  
lestia prophanis, inania miscere veris ? At  
quanto satius fuerat peccatum originis cū  
Pelagianis simpliciter negare , quam com-  
mentitiam istam sanctificationem , tanquā  
inanem nescio quām ideam, quę mente cō-  
cipi, re nec apprehendi, nec esse potest, præ-  
texere, quām se se mox in tantos absurdita-  
tum, errorumq; coniicere labyrinthos.

*3. obiectio*  
*Cath. adu.*  
*Caluinia.*  
*sanctifica.*  
*Ioan. 3.*

**T**E R T I O hæreditariæ Caluinianorum  
sanctificationi Ioānem opponimus. Is  
enim ista scribit, nisi quis natus fuerit  
ex qua & spiritu, non potest introire in re-  
gnum Dei. Quem locum Ecclesiastici scri-  
ptores de baptismo interpretantur, præser-  
tim verò Augustinus, & inde infantes pue-  
ros, si nondum tincti moriuntur, cœlestis vi-  
tæ (vt aiunt) hoc est summi boni fruitione  
priuatum iri colligit. Cuius duram immi-  
tēmque sentētiā ab aliis vel temperatam,  
vel emendatam Caluiniani asserunt, eoque  
nomine limbū, theologorum commentū  
scilicet, fuisse inuectum : quamuis seipsum  
fatis interpretetur Augustinus, nec eandem  
infantium qui sine baptismo, & eorum qui  
prouectiore etate, priuatis vitiis inquinati,

vita functi sunt, fortē esse testetur. Cum il  
lis quippē qui non sua, sed naturæ suæ cul-  
pa, summo bono priuātur, mitius: cum istis  
qui pro scelerum suorū magnitudine mul-  
tantur, seuerius agi: Quemadmodum  
etiam æquus iudex in eum qui imprude-  
ns hominem occiderit, leuiter: in eum qui  
prudens volénsque grauiter, & summo  
animaduertere consuevit. Imò verò i-  
dem dubitat an supplicia quædam infan-  
tes subeant, & an illis prorsus non natos,  
quām in eam fortē fuisse natos expediat.

Quod verò animam è corpore migran- Aug. II. I.  
tem, aut statim in coelum ad Christum de pec. mer.  
euolare, aut in Satanæ baratrum de- et remiss.  
trudi Caluiniani putant, tertium locum c. 16. et li.  
extare, aut reperiri negant, paucis id explica- s. cōtra In-  
ri non potest, & propriam tractationem ex- lianū Pel. cap. 8.  
igit: idcirco in disputationem de purgato-  
rio igne (vt vocant) reiiciēdum puto. Illud  
tamen interim ab illis quæram, vbinam lo-  
corum οὐλπον, id est, sinum Abrahami Luc 16.  
(vt vocat Lucas) collocent? Vbi hominis ab 4. Reg. 13.  
Elizeo excitati animam substitisse existi- Ioan. II.  
ment? Vbi animam Lazari toto quadriduo Matth. 27  
delituissē credant? vnde prodierit animæ il-  
lorum qui post Christi mortē è sepulchris  
egressi, atq; Hierosolymā profecti fese per

*Concio de sanctif. infant.*

multis conspiciendos præbuerūt: quo item se receperint, aut vbi habitarint quadraginta illis diebus, quibus Christus cum discipulis commoratus, certa suæ resurrectionis argumenta exhibuit, & altiora doctrinæ suæ arcana detexit. Addamus etiam Tabitam à Petro ad vitam reuocatam. Certè in altero locorum illorum collocare non possunt. Duas duntas taxat vias nobis proponunt, dextram & sinistram: dextrā piis, sinistram impiis attribunt. At qui antè Christum Abra-

*Hieron. in epitap. Ne-* ham apud inferos (inquit Hieronym⁹) post Christum latro in paradiſo. An verò hos potiani.

*Psalm. 26. vers. 13.* Abrahāmi inferos in sinistram reiiciēt? An sanctum Patriarcham in impiorum ordinē referent? Quæ est autem dextra via, nisi ea quæ nos ad terram viuentium (sic enim in

*Hiero. epist ad Darda-* sacris literis nonnumquam appellatur) hoc

est, ad cœlestem illam Hierusalem deducit?

De qua sic idem scribit Hieronymus. Hæc

est terra viuentium, in qua sanctis viris, atq;

mansuetis bona Domini preparantur, quā

antè aduentum in carne domini saluatoris,

nec abraham, nec Isaac, nec Iacob, nec Prophetæ, & alii iusti viri consequi potuerunt.

Denique & Abraham (licet diuersis locis)

cū Lazaro videtur apud inferos, sanè eos-

dē Abrahāmi, impiorumq; inferos nemō

dixerit.

dixerit. Nec obest illud Augustini (vt fer- „*Aug. li-*  
tur) quod à multis detruncatum mutilum- „*s. hyp.*  
que proponitur. Primùm enim locum (in- „  
quit)fides Catholicorum diuina authorita- „  
te regnum credit esse cœlorum, vnde (vt di- „  
xi) non baptizatus excipitur. Secundum ge- „  
hennam, vbi omnis apostata, vel à Christi „  
fide alienus, æterna supplicia experietur. „  
Tertium penitus ignoramus, imò nec esse „  
in scripturis sanctis inueniem⁹. Nam & hos „  
libros Germanos Augustini non esse, viri „  
docti annotarūt, quorum censurā sequutus „  
est Caluinus. Et de locis scrip̄tor ille (quis- „*Calvi. in lib.*  
quis is fuerit) loquitur, in quibus perpetua, 3 *Pig. deli-*  
æternaque erit habitatio, vt ea periodo que „*bero. arbi.*  
precedit, apertè declarat: quū ait. Da mihi „  
præter hūc alterum locū, vbi vitæ possit re- „  
quies esse perénis. Mox statī subdit, quæ su- „  
pra inferuim⁹. At in purgatorio (vt loquū- „  
tur) ppetua habitatio nō est, sed purgatos re- „  
gnūm coeleste semper excipit. Addendum „  
& illud inferorum nomine, omnem locum „  
inferiorem, præsertim infra cœlum, qui cœ- „  
lesti habitationi opponitur, ac limbum (si „  
ita appellari placet) hoc est locum in quo „  
patriarchæ ante Christum cōmorati sunt. „  
Et infantes ante baptismum mortui con- „  
quiescunt, & loca impiis destinata posse cō-

*Concio de sanctis. infant.*

prehēdi. Quemadmodum enim Abrahā, & Lazarus, vterque è beatorū numero, apud inferos, licet diuersis locis, esse dicuntur, vt supra ex Hieronymo annotauimus. (Quanquam Lazarum pro diuite suppositū coniūcere quis potest.) Sic infantuli ante baptis-  
mum suscepit mortui, & impij apud inferos, licet diuersis locis esse dicētur vel potius quemadmodum Patriarchæ ante Christum, impiique apud inferos licet diuersis locis esse dicti sunt: Sic mortuos ante baptis-  
mum infantulos, impiosque apud inferos esse licet diuersis locis, dicere possumus. Vt

*Hiero. de  
obit. bleſſil.*

etiam docet in hæc verba Hieronymus: Vnde & Abraham licet in loco refrigerij, tam-  
en apud inferos cum Lazaro fuisse scribi-

*Aug. epist  
57. ad Dar  
da. & 99.  
ad Euodiu  
& li. 12.c.  
33 de gene.  
ad lit.* tur. At dubitat Augustinus an Abrahami sinus, in quo Lazarus cum Abrahamo con-  
quiescebat, ad paradisum, an verò ad infe-  
ros pertinere sit existimandus. Quòd si ad  
inferos pertinet, sanè ad illos, in quibus im-  
pij cruciantur, nō pertinet. Tertium itaque

locum aut esse censuit Augustinus, aut an esset dubitauit: dubitauit (inquam) an inferorum duplex esse conditio existimari debeat, hoc est an inferos, in Abrahami sinum partiri debeamus, & gehennam, vt vulgo diuersas has habitationes distinguere, & ap-  
pellare

pellare cōsueuerunt. Quanquam inferorū  
 nomen in bonam partem acceptum in fa-  
 cris literis se deprehendisse inficiatur. Et id-  
 cīrco nihil ea in re definire audet. Hac tamē  
 fortasse ratione hos locos <sup>Psa. 30. et</sup> Psaltes nūc infer  
 num, aut inferos simpliciter, nūc infernum <sup>aliis pleris.</sup> <sup>psalm. 86.</sup>  
 inferiorem vocat, innuens scilicet, inferorū <sup>vers. 13.</sup>  
 non vnam esse habitationem atque condi-  
 tionem, sed plures multum inter se discre-  
 pantes. Quam distinctionem quōdam ani-  
 maduertit, sed in alium & ab vniuersae Ec-  
 clesiæ consensu alienum sensum traxit Ori-  
 genes. <sup>Hieron. ad</sup> Quid? quod Adamum tertio quodā  
 inferorum loco, vt videtur, ( nam Abraha-  
 mi sinum secretæ cūiusdem quietis habita-  
 tionem esse putat) inferni doloribus Christi  
 interuentu solutum traditione Ecclesia-  
 stica proditum esse idem scribit Augusti-  
 nus. Cui fidem adhibendam esset censem.  
 Et <sup>Aug. epist</sup> <sup>99. ad Euseb.</sup> si ea nullo sacræ scripturæ loco disertè cō-  
 firmatur: nisi hūc tertium locum, eundem  
 cum Abrahami sinu existimare volumus.  
 Qui igitur tam confidēter Caluiniani duas  
 duntaxat vias nobis proponunt: dextram  
 quæ in coelum nos euehat, sinistramque in  
 gehēnam præcipitet, quum hic tanta cum  
 cautione loquatur, nihilque affirmare au-  
 deat Augustinus? Nec me prēterit scripto-

*Concio de sanctif. infant.*

ré illum, cui hypognosticōn libri tribuuntur, gehennæ, non inferorum nomine fuisse vsum. Sed etiā an ante baptismum infantes mortui crucientur, dubitat Augustinus. Et alioqui eosdem si non illato supplicio, at quod plena diuinæ fœlicitatis luce nō fruuntur, cruciari par est. Gehennę autem nomine nihil aliud quam supplicij, cruciatusque locum intelligimus. Postremò ignotis scriptoris tanti non est authoritas, vt illi deferre multum debeamus. Quid si locū non definio, mihi que satis illud, infantulos ante baptismum suscepimus mortuos, peccato originis deprimente, in cœlum ascēdere, ac recipi non posse, nec iisdem suppliciis quibus impij cruciantur, affligi? Limbum appelles, aut aliud nomen reperias, licet : nihil mea interest. Quanquam si iisdem rationibus, quibus Caluinus impiorum prædestinationem tuetur, vti volumus, Limbo aliquo, vt Caluiniani temerè obiiciūt, quo Augustini sententiam sanctam teatam conseruemus, nobis opus non est. Quamobrē Caluinianis nostro more Caluinum opponamus. Si quis quærat cur impios in certū instit. li. 3. teritum, sempiternaque supplicia destinet, e. 23. sec. aut prædestinet Deus, respondet Caluinus, 2. 3. 4. id in Dei voluntate positum esse : hoc est,

*Cal. in-* „ mus. Si quis quærat cur impios in certū in-  
*stit. li. 3.* „ teritum, sempiternaque supplicia destinet,  
*e. 23. sec.* „ aut prædestinet Deus, respondet Caluinus,  
*2. 3. 4.* „ id in Dei voluntate positum esse : hoc est,  
*op. 6.* „ id

id Deū fecisse, quia voluit. quod si vltra per  
gas, rogando cur voluerit, maius aliquid  
quæris (inquit Caluinus) & sublimius Dei  
voluntate, quod inueniri non potest. Com-  
pescat igitur se humana temeritas. Et quod  
non est, ne querat ne fortè quod est non in-  
ueniat. Hæc enim Caluini verba sūt. Si quis  
igitur Augustini sententiam quasi immittē,  
aut crudelem fortasse reprehendat, ac dam-  
net, non deerit quod respōdeamus. Sacras  
enim literas primā nostræ doctrinæ esse re-  
gulam fatebimur. Nimiæ temeritatis, arro-  
gantiæq; esse plura, quām illæ promittant,  
polliceri. quid verò ille decernunt: Nem-  
ni, nisi is ex aqua, & spiritu natus fuerit, in  
Dei regnum aditum patere, hoc est nem-  
inem, nisi is fuerit tinctus, diuinæ maiestatis  
contemplatione, præsentia, benignitate, fru-  
itum. An aliquid supra scripturā, aut cō-  
tra scripturam audebimus? Ad quam toties  
nos reuocant, & prouocant, non solū Calui-  
niani, sed omnes hæretici. Si toties ad scri-  
pturam prouocant, nōsque reuocant, per-  
mittant tandem nos intra scripture cancel-  
los consistere, neque vltra progredi impor-  
tunè cogant. Tum verò ab Augustino stat  
Caluinus, aut saltem Caluinianæ supra cō-  
memorate ratiōes: quę nobis etiam, si alio-

*Concio de sanctif. infant.*

qui h̄ererem⁹, manū porrigunt, quidq; Augustini caluniatoribus respōdendū sit, edocēt. Si quis enim roget cur infātuli ante baptismū susceptū mortui speranda felicitate priuantur: Peccatū originis in causa esse dicemus, quod solo baptismo, aut iis actioni-

*Aug. li. 2.* bus, quæ baptismi vicem implet, vti mox *de pec. orig.* docebimus, aboleri potest. Nihil autem hu-

*cōtra Pelag.* iusmodi in infantulis reperire est. Parétum *& Cael. c.*

porrò sanctificationem h̄ereditariam non

*39. & se-* esse ostendimus, idcircoq; fidelium, infide-

*quentibus.*

liūmque liberos, ex æquo peccato originis

*Calu. li. 2.* nasci inquinatos, quod multis locis fatetur

*Instit. c. 1.* Augustinus. Si quis aut nimis seueram, aut

*Sect. 7.* iniquam fortasse sententiam hanc esse exci-

*Petr⁹. mar.* piat, vt quis non sui, sed alieni peccati, tam

*in cap. 7.* graues poenas luat, ideoque summi boni

fruendi spe excidat, ex præscriptis Caluini

verbis respondebimus, Deum prædestinasse,

vt ante susceptam baptismi initiationem,

vt hac ætate, momentōque morerentur. Vi-

*Caluinus* tam enim & mortem diuinę voluntatis esse

*infl. li. 3. c* actionies, cū Valla afferit Caluinus, nec alia

*23. sect. 6. 7* ratione Deum, quę futura sunt præuidere,

nisi quia ita vt fierent, decreuit: idcirco autē

decreuisse, quia voluit. Quod quoniam in-

uolutum est, & explicatione indiget, à pro-

posita quæstione non nihil digrediemur, &

paucis

paucis prædestinationis naturam perstrin-  
gentes, Caluini rationes expendemus, mox  
ad Augustini sententiam redibimus.

Nos itaque contrariam sententiam pro-  
bamus, hoc est, Dei decretum, siue præ-  
destinationem diuinę præscientię causam:  
negam⁹. Negamus ideo duntaxat Deū om-  
nia præuidere, quod ita vt fierent, decreuit,  
vt temere afferit Caluinus. Alioqui fatalis  
quędam in rebus omnibus inueheretur ne-  
cessitas. Nec dico fatalem, qualem Stoici  
ex connexione causarum sibi mutuò necef-  
sitate quadam succendentium, sed fatalē ne-  
cessitatem appello, quæ ita aeterno Dei de-  
creto instituta est, vt aliter euenire non pos-  
fit, quam etiam Caluinus, Caluinianiq; ad-  
mittunt. Quamuis enim in causis interme-  
diis, quo ad hominem attinet, Caluiniani  
cum Stoicis non conueniant, tamen in iis-  
dem causis, quo ad Deum attinet, & in sco-  
po, hoc est, euentuū necessitate consentiūt,  
omniāque necessariō fieri contendunt. Sed  
nec causæ intermedię fortuito siue conti-  
ngenter (vt loquuntur) agerent, vel non age-  
rent, quod tamen admittit Beza, & natura  
contingentes esse, & debere dici fatetur. Nā  
si ideo omnia præuidet Deus, quod ita vt fi-  
erent decreuit, nihil certę præuidet, aut præ-

*Beza de ab  
sterzionib⁹,  
Caluin. in  
primo erro  
re.*

*Contio de sanctif. infant.*

scit Deus, nisi quod decreuit. Oia autem quae fuerunt, sunt, & erunt, prauidit, ac praesciuit Deus ante mundi constitutionem, & ab eterno (ut loquuntur.) Omnia ergo tanto ante decreuit. Si oia tantum ante decreuit, & quicquid ille decreuit, necessariò fit, Omnia profectò necessariò fiunt. Neque in rerum natura fortuitum aliquid, vel contingens (ut vocant) aut fuit, aut esse potest. Videat igitur Beza (si Caluini præceptoris doctrinam tueri volet) quā causas intermedias contingentes esse, aut contingenter agere posse fateatur. Nā aut à Deo decretē sunt, siue prædestinatē, aut non decretæ: Si decretæ, necessariò eveniunt, si non decretæ, quādā igitur præuidet Deus, quę nō decreuit. Et proinde non ideo præuidet, quia ita ut fierent, decreuit, nisi forte hic Dei præscientiā Beza inficiari volet. Hinc totam Caluini, Calvinianorumq; de prædestinatiōe doctrinā metiri, quamq; & à sacrarum literarum veritate, & ab omni naturali ratione sit aliena, iudicare possum⁹, qui ne in negotiis quidē ciuilib⁹, domesticis, aut ludicris (si eorumdē ratiōes tueri volumus) nobis arbitrij libertate relinquūt: quasi verò nemo pedē, digitumq; moueat, quicquamve cōtueatur, nisi ex dei p̄scripto, atq; ēterna prædestinatiōe.

Inde

Inde autem potissimum hic manasse error mihi videtur, quod falsum axioma sibi constituit Caluinus, ut omnia fieri necessariò, cōtingēter (sic enim loqui cogimur) nihil euenire confirmet: Deum scilicet, nō alia ratione quę futura sunt, præuidere, nisi quia ita vt fierent, decreuit. In quo pro confessio sumit, quod probādum maximè fuit: vitium id dialecticivulgò principij petitio nem appellant. Nam quum omnium confessione palam sit, Deum omnia præuidere, neque hereticorum quisquam tam insanus aliquando fuerit, qui præscientiam illi auferre sit ausus: Et qui præscientiā illi aufert (inquit Hieronymus) aufert & diuinitatē. *Hier. li. 3.*  
 Si pro confessio etiam quis sumat, ideo præ uidere, quia ita vt fierent, decreuit, pro confessio nimirum sumit, Deum ab ēterno (vt loquuntur) omnia decreuisse, quod caput controversiæ fuit, in quo præsertim disputatio tota vertitur. Addo & falsum sumi, & rerum etiam ordinē inuerti. Nos contra, ordine prius esse dicimus, ut Deus præuideat, quod mox decernit. Prouidentiam appella mus quasi præudentiam, & prudētes vocat Tullius, qui futura multò antè prospiciunt *Cicer. li. 1.* quasi prouidentes. Quis autem diuinam il lam mentem, quę ipsissima sapiētia est, tam *de diuina.*

### *Concio de sanctif. infant.*

amentem, stolidamque confinget, ut decernat priusquam prouideat? An quod homini prudenti affingere non auderet, Deo insanus affinget? Quamquam praescientiam in Deo, ac destinationem, siue praedestinationem tempore metiri proprio non possumus: Et quum alteram altera priorem dicimus, ordinis potius, quam temporis ratione habemus, quod utramque in Deo ante temporum omnium dimensiones, atque adeo ante mundi ortum siue constitutionem (ut loquuntur) agnoscimus. Hinc praescientiam Dei non habere principium scribit Basilius, finem tamen habere postquam facta sunt ea, quae praesciuit Deus. Sic pios ante mundi constitutionem electos, ut sancti essent, scribit Paulus. Id est tamquam quum de nostrae vocationis ordine sigillatum, accuratiusque differit, ita haec connectit. οὐς ἀποέγγων, vel ἀποέγγωνες quos praesciuit, vel præcognovit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui. Quos prædestinavit, hos & vocavit. Videlicet ut præscientiam antea prædestinationem collocet. Quod etiam confirmat in haec verba tantopere laudatus à Beza Theodoreetus. Nō dixit simpliciter prædestinavit, sed quos praesciuit, prædestinavit. Confirmat & eundem locum explicans Augustinus: Præde-

stinatione nostra (Inquit) non in nobis facta  
est, sed in occulto apud ipsum in eius præ-  
scientia. Tria verò reliqua in nobis fiunt,  
vocatio, iustificatio, glorificatio. Si præ-  
destinatio nostra fit in Dei præscientia, præ-  
scientia nimis ordine antecedit. Et alio  
loco. Ista igitur dona quibuscumq; Deo do-  
nat, proculdubio donaturum se esse præsci-  
uit, & in sua præscientia preparauit. Quos  
ergo prædestinavit, ipsos & vocauit. Voca-  
uit vocatione illa, quam s̄epe commemora-  
re non piget, de qua dictum est, sine poenitentia  
sunt dona & vocatio dei. Nam in sua  
quæ falli, mutarique non potest præscien-  
tia, opera sua futura disponere, id omnino  
nec aliud quicquam est, nisi prædestinare. Si  
Deo prædestinare nihil aliud est, quam in  
sua præscientia præparare, aut in sua præ-  
scientia opera futura disponere, nonne præ-  
destinationem præscientia ordine antecedit?  
Et alio loco. Prædestinatio sanctorum ni- *De bo. prof.*  
hil aliud est quam præscientia & præpara- *cap. 14.*  
tio beneficiorum Dei, quibus liberantur,  
quicunque liberantur. Hinc prædestinatio *Augu.*  
nonnunquam præscientię nomine desi- *bo. persua.*  
gnatur. Scio quam mala fide locum Pauli *18.*  
supra commemoratum, Beza, & antè Bezā *Rome II.*  
Caluinus inuertat. Dum vterq; *vers. 2.*

*Concio de sanctif. infant.*

antè decernere & certo statuere interpretatur. Inquam significationem, et si nonnunquam usurpat, tamen ea interpretatio, si hic vera esset, sanè & ἀρογώσκειν & ἀροοπίζειν idem prorsus esset, nullusque inter hęc duo cōstitueretur gradus. Rectius igitur meo iudicio, post Origenē Erasmus, et si Paulum de nuda præscientia loquutum non putat, sed de ea qua Deus pios nosse, & impios nō nosse, dicitur, ut etiam interpretatur Petrus martyr, tamen nullam inde necessitatē scribit inferri. De præscientia intellexisse Paulum, loci quoque Augustini supra commemorati, ac Theodoreti indicat, Præscientiamque prædestinatione priorem esse cōori. in c. 8 mōstrant. Et antè illos satis confirmat *Ori-*  
*ad rom.* *genes*, de selectis tantum illud Pauli interpretans, quos presciit, & prædestinavit cōformes fieri imagini filij sui. Cæteri autem  
" præsciri non dicuntur (inquit) nō quod ali-  
" quid latere possit naturā illam, quæ vbiq;  
" est, & nusquā deest. Sed quia omne quod  
" malum est, scientia eius vel præscientia ha-  
*Amb. in* " betur indignum. Et Ambrosius, quos præ-  
*c. 8. ad Ro.* sciuīt futuros sibi deuotos, ipsos elegit ad  
" promissa præmia capeſſenda, vt ij qui cre-  
" dere videntur, & nō permanent in fide cœ-  
" pta, à Deo electi negentur. Est enim qui ad

tempus eligitur, sicut Saül, & Iudas, non de præscientia, sed de præsenti iustitia. Theophylactus etiam apertè præscientiam præcedere, prædestinationem sequiscribit. Quā præpostere igitur afferat Caluinus, Deum non alia ratione quæ futura sunt præuide-re, nisi quia ita ut fierent, decreuit, siue prædestinavit, satis superque confirmatū puto.

Accedit quod Dei præscientiam Caluinus ac Caluiniani, prædestinationemq; cōfundunt, atque alteram ab altera, aut certè quæ harum sunt propria, nō satis accurate distingunt. Nam & si Deus quemadmodum præuidet rerum euentus, hoc vel illo modo melius habituros, aut hos vel illos in suæ maiestatis commendationem magis cessuros, ita & decernit, siue prædestinat, (immēsa illius bonitatis est, oīa ad id quod optimū est dirigere, ac velut manuducere) non tamē omnia quæ præuidet, & decernit.

Id explicat in hęc verba Augustinus: Sicut *Augu. de tu quædam quæ fecisti, meministi, nec tamē lib. arb. li.* quæ meministi, omnia fecisti: Ita Deus, omnia quorum ipse author est, præscit, nec tamen omnium quæ præscit, ipse author est: Quorum autem non est author, iustus est vltor. Causas igitur intermedias magna ex parte, ac plærōsque qui has consequuntur

*Concio de sanctif. infant.*

euētus humāni arbitrij libertati permittit:  
Alioqui si quod omnia certo præuideat  
Deus, omnia quoque eundem prædestina-  
re, aut decernere quis dicat, prædestinationē  
nimirum cum præsciētia, siue præudentia  
confundit: quum præuidētiam rerum cau-  
sam nemo dixerit, aut ullam inferre nece-  
sitatem, quod etiā Caluinus non negat. Nec  
verò inde quod permulta nostræ libertati  
permittantur, cōsequitur, quod temerè in-  
fert Beza, Deum scilicet, vel inuitum, vel i-  
gnorantem, vel oscitantem atque otiosum  
permittere. Voluntas inclinationem indi-  
cat, vt aliquid fiat: Permissio nullam incli-  
nationem indicat, sed proposita velut qua-  
dam ἀδιαφορίᾳ liberū relinquit, vt in vtrā-  
uis partem feramur. Non quod hic oscite-  
tur Deus, aut perinde illi sit, si peccet quis,  
vel nō peccet. Sed quod ea permissiōe sem-  
per aliud quiddam spectet, quod postremū  
quidem vult, et si multa quæ intercedunt,

*Augu. in Enchiridio* contra eius voluntatem, plarūque fiunt, vt scribit Augustinus. Propterea namque ma-

c. 100. " gna opera Domini, exquisita in omnes vo-  
lūtates eius, vt miro, & ineffabili modo nō  
fiat præter eius voluntatem, quod etiam cō-  
tra eius fit voluntatem: quia non fieret, si nō  
fineret, nec vtique nolens sinit, sed volens:

Nec

*Beza in ab-  
sterzionib.  
Caluini.*

Nec sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens de malo facere posset bene. Vbi quum ait, nec vtique nolens sinit, sed volēs, voluntas eius non propriè usurpat, quę scilicet huc propendeat, vt id fiat, atque eidem acquiescat: Sed in genere accipitur, quæ non impedit fieri, quod reuera non vult Deus, sed quo tamen bene usurum se præuidit: malis enim non nisi bene vti, bonus & omnipotens potest. Inuitus autem, & volenti, & permittenti opponitur. Permisit igitur Deus, & quidē non inuitus (non quod peccato oblectetur, sed quod longe aliud speget) nec ignorans, nec otiosus, Adamo peccare, atque totam posteritatem peccato involuere, vt maior, scilicet erga nos diuina bonitas, Christusq; peccatorum omnium poenas luentis charitas declararetur, multis que aliis de causis fortasse, quę in arcano diuini consilij sacrario delitescunt. Permisit (inquā) homini peccare, vt magis acceptū esset spōte, quam necessariò collatum Deo obsequium, magis grata, voluntaria, quam coacta pietas. Permisit Dauidi adulterium cōmittere. Petro Christum deserere, vt maior resipiscētibus redderetur merces, vt in vera pietate minus confirmatis, nulla despērandi occasio ob oculos obuersaretur. Per-

*Concio de sanctif. infant.*

mittit quotidie improbis peccare, & in peccatorum coeno sese cōspurcare, vt piorum magis illustretur integritas, atque ampliori b<sup>o</sup> ab ipso cōquisissimo Agonotheta prēmiis remuneretur, vt non minor in malis puniēdis, quām in piis augendis eius æquitas declaretur. An propterea peccati authorē dicemus Deum, aut eiusdem voluntate peccata committi? Minimē verò, quum ad longe alium scopum collimarit. Adhęc si maleficium (vt Caluinus, & post Caluinum Beza scribit) æstimatur ex fine, quo quisque tendit: Dei autem voluntas nunquam ad malum, aut peccatum, tanquam ad finem tendit, sanè Dei voluntas malorum, aut peccatorum causa esse nunquam potest. Si enim nonnullos Deus in reprobū sensum tradit

*Beza in ab  
ſtersionib<sup>9</sup>  
in primo er  
rore.*

*Romano. I.* (vt admonet Paulus) nō hic acquiescit Dei voluntas. Sed illuc nimirum spectat, vt peccatum peccato puniat, quod iustitiæ est. Si Iobo calamitates immisit, nō eo collimauit vt hominem pium affligeret, sed vt probaret, & in officio contineret: quod paternæ prouidentiæ est, videre ne mundi illecebris pellectus charissimi filij animus lasciuiat, ac iuueniliter exultās de via aberret, aut potius in auia feratur, atque in vitia præcepserat. Nec difficile est ex his duobus exēplis de

de aliis id genus iudicare. Hoc diuinę volū-  
tatis, permissionisq; discrimen explicat Au-  
gustinus. Nec dubitandum est (inquit) Deū <sup>Aug. i En</sup> cheridio.  
facere bene, etiam sinēdo fieri quæcunque <sup>cap. 96</sup>  
fiūt male: non enim hoc nisi iusto iudicio „  
sinit: & profectò bonum est, omnēque iu- „  
stum est. Quamuis ergo ea quæ mala sunt, „  
in quantum mala sunt, non sīnt bona: tamē „  
vt non solum bona, sed etiā sīnt & mala, bo- „  
num est. Nam nīsi esset hoc bonū, vt essent „  
& mala, nullo modo esse finerentur ab om- „  
nipotēte bono, cui proculdubiō quām fa- „  
cile est, quod vult facere, tā facile est quod „  
non vult esse, non sinere. Quibus verbis fa- „  
tis declarari distīctio illa mihi videtur, qua  
Deus bona velle dicitur, mala autem velle  
non dicitur, sed sinere.

Hinc etiā quam frigidis rationibus ni- <sup>Beza de ab</sup>  
tatur Beza, vt non omnia tantum, sed & <sup>stersionib</sup>  
singula ex Dei decreto euenire confirmet <sup>Calwini, in</sup>  
satis intelliġi potest. Siquid euenit aliter (in- <sup>primo, erro</sup>  
quit) quā Deus decreuerit, omnipotēs non <sup>re.</sup>  
est, vt pote cuius irrita sunt aliqua decreta.  
At primum probandum fuit, deum omnia  
decreuisse. Id vt probet statim subiungit: Si „  
quippiam vel tantillum accidat absque eo, „  
vt interuenerit Dei decretum, totidē Deos „  
constituamus oportet, quot existent eius- „

*Concio de sanctif. infant.*

modi causę προκετηριαγη. Nam qui à nullo  
superiore motore regitur , necessario Deus  
est, quum nihil eo sit superius. Deum supre-  
mum motorem agnoscimus, qui rebus om-  
nibus, præsertim verò hominibus vim mo-  
uendi immittat: non tamē ita immittit, quin  
plurimos motus, & quod ad animū, & quod  
ad corpus attinet, humanę libertati permit-  
tat. Cur verò in iis quę libero hominis arbi-  
trio relinquuntur, multas causas προκετηρι-  
ας ac proinde totidē Deos cōstituat Beza,  
non satis assechor. Mihi liberum est Lutetiā  
proficiisci, aut non proficiisci : huius profe-  
ctionis suscepτae, vel non suscepτae, causa est  
ea animi voluntas quę tum mihi infedit.  
An ultra progredi non possumus? sanè pos-  
sumus. Nam animus, siue ea animi volūtas  
prima, princepsq; causa non est, cur homo  
moueatur, atque hoc iter peragat, sed Deus  
qui homini vt moueri posset, dedit. Non in-  
se igitur homo, sed à Deo motus principiū  
habet : quamuis vt huc, aut illuc moueatur,  
non semper prescribat Deus, sed plerumq;  
liberum relinquat, hoc est vis mouendi à  
Deo est, actio ipsa siue cessatio ab actione  
motus , siue cessatio à motu , magna ex  
parte libero homini & arbitrio relinquun-  
tur. Nam quemadmodum aliud est ( vt in-  
quit

quit Augustinus) ex intimo ac summo cau- Augu. l.  
sarum cardine condere atque administrare 3. de trini.  
creaturam (quod vnius dei est) aliud autem cap. 9.  
pro distributis ab illo viribus , ac facultati-  
bus, aliquā operationem forinsecus admo-  
uere, vt tunc vel tunc, sic vel sic exeat, quod  
creatur, vt de magorum Egiptiorum serpē-  
tibus videre est: sic prima mot⁹ causa à Deo  
est, quę hanc cōsequūtur, atq; inde vim suā  
recipiunt, hominibus plérūmque tribuū-  
tur. Nec secus in cæteris quę sunt liberi ar-  
bitrij euenit. Semper enim ad Deum om-  
nis motus causam προκατέβην redimus.

Sed his in aliam disputationem reiectis,  
Caluinianos Caluinianis effatis refutemus,  
& ad Augustini sententiam vel explican-  
dam , vel ex Caluini etiam doctrina pro-  
pugnandam redeamus . Prædestinationis  
impiorum causam , Dei esse voluntatem  
(vt supra docuimus)affirmat Caluinus . Si  
quis igitur quęret, cur infantes De⁹ in mor-  
tem immaturam destinari, vel prædestina-  
rit, quęstionem vnā cum Caluino ita absolu-  
uemus, vt nullus postea relinquatur ambi-  
gendi locus: Si tamen vera sunt, quę ille tra-  
dit: Deum scilicet, ita voluisse, respondebi-  
mus, diuina autem voluntate nihil esse su-  
blimius, vt hic subsistat vnuſquīſque, nec vñ

*Concio de sanctif. infant.*

tra progredietur necesse esse , Deum haud  
quaquā ita nobis addictum esse , vt eorum  
quæ agit, ad nos rationē referat , arbitriū vè  
nobis deferat : nos insuper nec legitimos  
tantarum rerum , iustosque esse arbitros.  
Quas quidem rationes ex ipsis Caluinianæ  
theologiæ fontibus haustas , nisi cum sum-  
mo scelere, & aperta in Doctorē suum im-  
pietate (vt mihi videtur) Caluiniani reiicere  
non possunt. Desinant itaque, desinant (in-  
quam) impudēter oblatrare, nobisq; toties  
limbum obiicere, sine cuius adminiculō, ex  
ipsissima illorum doctrina, Augustinum fa-

*Aug.li.5. cile tueri possum?* Quamquam se satis ipse  
*ea.8. cōtra* tuetur Augustinus , quum ait , *Quis dubi-*  
*Iuli.pela.* tauerit paruulos non baptizatos, qui solum  
habent originale peccatum , nec ullis pro-  
priis aggrauantur, in damnatione omnium  
Ieuissima futuros? *Quę qualis & quāta erit,*  
quamuis definire non possim , non tamen  
audeo dicere quod eis vt nulli essent, quam  
vt ibi essent, potius expediret . Et alio loco  
ita scribit: *Hęc gratia baptismi nimirum,*  
*cur ad illum veniat, ad illum nō veniat, oc-*  
*Aug.li.1. culta causa esse potest, iniusta non potest.*  
*depec.mer.* Neque limbi meminit , sed causam ipsam  
*& remis.* inter occulta Dei consilia collocat . An ve-  
*cōtra.pela.* rò quod Caluino in prædestinatiōe licuit,  
*cap.20.* in rè

in re nō minus difficili, perplexáque Augu-  
stino non licebit, vt quoniam humana pru-  
dentia certam ferre sententiam non possu-  
mus, id Dei qui vnus omnia videt, arbitrio  
relíquamus. Et in rebus arduis, & ab huma-  
na intelligentia multum dissitis, doctam es-  
se ignorantiam Caluinus prēdicat. Patiatur  
ergo Caluinus, Caluinianique de infantulo-  
rum nondum suscepta baptismi initiatione  
mortuorum cōditione, statuque, nos igno-  
rare non minus obscura, atque perplexa, q̄  
quę Caluinus ipse in prædestinatione sibi  
ignorare permittit: Et quandoquidē nihil  
de illis sacræ literæ statuunt, nihil quoque  
ipſi statuere prorsus audeamus. Si Augusti-  
ni seueritatem tantoperē reformidabant, at  
saltem in Gersonis mitiore sentētia consti-  
tissent, quæ inter has velut intermedia in-  
greditur, & calumniis non perinde atque  
Caluiniana obnoxia est, & multos habet  
suffragatores. Quis enim diuinam vim me-  
tiri, aut humana ratione circunscribere, aut  
omnia immensę illius bonitatis genera cō-  
plecti potest? Eandem Augustini sententiā  
confirmat concilium Constantinopolitanū  
inter oecumenica ordine secundum, in cu-  
iis symbolo hæc leguntur. Cōfitemur vnū  
baptisma, in remissionem peccatorum. Cō-

*Con. milie.* firmant & Mileuitanū ac Carthaginense 6.  
*ca. 2. Carth* in hęc verba: Placuit vt quicunque paruu-  
*6. ca. II 2.* los recentes ab vteris matrum baptizandos  
*Augu. ,,* negat, aut dicit in remissionem quidem pec-  
*de Eccle ,,* catorum eos baptizari, sed nihil ex Adam  
*dog. c. 33 ,,* trahere originalis peccati, quod regenerationis  
lauacro expietur, vnde sit cōsequēs,  
vt in eis forma baptismatis in remissionem  
peccatorum, nō vera, sed falsa intelligatur,  
anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus, Per vnu  
hominem peccatum intravit in mundum,  
& per peccatum mors, & ita in omnes ho-  
mines pertransiit, in quo omnes peccau-  
runt, nisi quemadmodum ecclesia catho-  
lica vbique diffusa semper intellexit. Pro-  
pter hanc enim regulam fidei, etiam paruu-  
li, qui nihil peccatorum in semetipſis ad-  
huc committere potuerunt, ideo in pecca-  
torū remissionem veraciter baptizantur, vt  
in eis regeneratione mundetur, quod gene-  
ratione traxerunt. Quorum duorum con-  
ciliarum decreto, in eadem verba repetito  
fatis liquet infantulos, haudquaquā in ma-  
trum vteris sanctificari (vt loquuntur & tra-  
dunt Caluiniani) sed verè in peccatorum  
remissionem tinge, & ipsa tintione pecca-  
ti innascentis sordibus elui. Ante baptismū  
igitur

igitur eos peccato originis inquinatos esse,  
idcircoq; cœli aditu excludi satis constat,  
nisi aliqua secretiore via, nobisque incogni-  
ta beneficentiam suam in illos Deus effun-  
dat. Quod aliis etiam rationibus docet Au- Aug. lib.  
6.ca. i. ¶  
2. cōtra Iu-  
lianum.  
gustinus. Nam quum pro omnib⁹, nec nisi Vide etiā  
Petrū Mar-  
tyrem in c.  
7. ad Cor-  
inth. i.  
Hieron. ad  
Latam de  
insti. filie.  
pro peccatoribus mortuus sit Christus, con-  
sequēs est infantes peccato originis esse ob-  
noxios, quandoquidem ex se peccare non  
possunt, nisi fortè Christum pro illis mor-  
tuum negamus. Addit Hieronymus infan-  
tes qui baptismum non receperint, non fo-  
lum peccati reos esse, sed & eos qui vt illis de pec. me-  
rit. ¶ re-  
misi. contra  
Pelag.c.34  
administraretur, neglexerint. Nisi fortè exi-  
stimas (inquit) Christianorum filios, si ba-  
ptisma non receperint, ipsos tātum reos esse  
peccati, & non etiam scelus referri ad eos  
qui dare noluerint, maxime eo tēpore, quo  
contradicere non poterant qui accepturi e-  
rant. Quærit præterea Augustinus, nisi in- Aug.li.i.  
fantes adhuc in satane potestate essent, quis ¶  
ante baptismum exorcismi esset vſus, nul-  
lus profectò, sed mera esset fabula. Et quā-  
quam exorcismum, non tam pro ludo ac fa-  
bula, quā pro execratione habent Caluinia-  
ni, at ſciant illius vſum esse antiquissimū,  
vt merito ex traditione apostolica ad nos  
peruenisse existimetur. Testes habemus lo-

*Concio de sanctif. infant.*

Dionysius  
de Eccl. hie  
rarch. cupletissimos, Dionysium Areopagitam, &  
Tertullianum inter latinos sacrarum litera-  
rum interpretes primum, nec magno inter-  
halitu mu uallo à primà illa, apostolicāq; Ecclesia di-  
liebri. stantem. Hi sunt angeli ( inquit ) quibus in  
Cornel. ep. lauacro renuntiamus, Cornelium quoque  
ad Fabian. summum pontificem, Cyprianumque, æ-  
Cypr. li. 4. quales ac martyres . Post hos Cyrillum.  
epist. 7. Cyril. i præ Hierosolymitanum, Basilium, Gregorium  
fa cath. et Nazianzenum, Ioānem Chrysostomū, nec  
prima ea non & Optatum Mileuitanum . In primis  
tech. myst. verò acerrimum exorcismi propugnatorē  
Basil. de spī Augustinum, vt interim traditionem Eccle-  
sia san. e. siaisticam taceam, quæ tot seculorum confir-  
quon re- mata consensu , ad nos inuiolata defluxit.  
nuntiantes Quinetiam historiæ Ecclesiasticæ Magde-  
disco. et c. burgicæ authores, etsi ab Ecclesia vniuersa  
6. reg. Na secesserunt, traditionumq; ecclesiasticarum  
Zia Ze. ora. acerrimi sunt hostes , tamen animaduerso  
2. i sc̄tā lu antiquorum scriptorum, Ecclesiæq; cōsen-  
mi. et ora. su, exorcismos non solum probant, sed &  
i sac. bapt. Petri autoritate confirmant. Verumenim  
Chry. hom. uero exorcismus iis qui sacramēta nuda gra-  
de Adam. Opt. lib. 4. tiæ iā collatæ signa esse volūt, & qui baptis-  
Eua. aduer. Per. mo peccatorū fordes elui negant, sed tintis  
Donat. christi iustitiā ascriptā, siue imputatā ( vt illi  
Aug. con. loquūtur) falso obtēdunt, in primis aduersa-  
Iul. li. 6. c. tur. Nihil mirū itaq; si à Caluinianis vtroq;  
i. et c. 2.

dogmate, ab vniuersa Ecclesia dissentientibus, summa contentione, atq; ingenti strepitu prorsus exploditur. Constat igitur pecatum originis baptismo elui, quod vel, in lege Mosaica circuncisionem, quem baptismi typus duntaxat fuit, saltem ex vi foederis olim præstissime plerique theologi censem. Neque verò est, cur Israëlitas in illis inter Egyptum, Iudeamque desertis locis natos, interim dum suos Moses, Egyptorum iugo excusso, in Chananiam traduceret, nobis obiificant: Quorum exemplo Caluiniani circumcisionem haud necessario infantulis adhibendam fuisse autemant. Israëlitas enim qui ex Egypto egressi sunt, in desertis illis locis omnes quidem vita functos sacrè litterè prodiderunt. An verò ex horum liberis quadraginta annis, quibus vastam illam solitudinem habitarunt, in lucem æditis, ibi quoque aliqui fuerint, necne, haud quam prodiderunt, sed nec ullum quidem illic decessisse nonnulli Ecclesiastici scriptores verosimile esse dixerint. Tanta siquidē benevolentia hanc nationem complectebatur Deus, ut si quando loci difficultas, aut aliqua maior necessitas, urgeret, diuina vi, potentiaq; admirabili, quicquid offendiculo erat, auerteret, suppeditaret quicquid erat ex

Rupert⁹ in  
Iesue.

*Concio de sanctif. infant.*

vsu:mare erythreū ad trāsitū illis diuisū est,  
illis māna ē cōelo est delapsū, illis cothurni  
ces in cibū aduolarūt. Quid calceos, vēstēs  
que commemorem, totis illis quadraginta  
annis haud quaquam attritas? Quod si vi  
lia hēc, & abiecta suppeditauit, an verò quē  
maioris momenti erant, etiam nō prāstitit  
Deus? nempē vt ii quos parētib⁹ reiectis, ad  
Chananæā habitandā, possidendāq; selege  
rat, conseruati fuerint vniuersi, quō ipsorū  
conditioni, salutique consuleretur, & regio  
populosior, & ab hostium iniuriis esset tu  
tior, atque eiusdem sacrosanctum nomen  
celebraretur augustius. Atqui in ipso Cha  
nanæā regionis ingressu, circuncisi omnes  
fuerunt, vt circuncisionem non sine causa  
dilatam, non autem negligenter omissam,  
fuisse intelligamus. Quum enim de profe  
ctionis non solum die, sed hora, momentō  
que adeo incerti essent, ac signo cōelitus da  
to, semper illis ingrediēdū esset, ne in mor  
tis apertum discriminēdū esset, diuina  
benignitate indultum est, non vt omnino  
non circunciderentur, sed vt statu die, hoc  
est octauo, circuncidi non cogerentur. Hac  
ipsa ratione & natalis dies circuncisionis  
prāscriptus nō est, vti nec sex qui proximē  
sequuntur, ne tener infans vulnus ferre nō

posset. Addendum & illud, quum circuncisionis præceptum iniunctum est, certum haud fuisse præscriptū diem, Masculus (in *Gene. 17.* quit Deus) cuius præputij caro circuncisa *vers. 14.* non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, hoc est, in foedere mecum inito nō connumerabitur: ut circūcisionem, scilicet necessitate dilatam, móxque administratam, non minus efficacem intelligeremus. Id in Mosis infantulo videre est, quem quum octauo die pater nō circuncidisset, ob idque *Exod. 4.* in grauem valetudinem incidiisset, láguente Sephora mater circūcidit, infansq; cōualuit ac manifesto dei iudicio, vis circūcisionis de clarata est. Ne igitur singularia isthæc exēpla caluiniani proferant, quibus circūcisionem aliquando differri, nō autē eiusdē necessitatē prorsus auferri probare possunt.

Hic autem magnā tragœdiā Caluinus *Cal. inst. li.* Caluinianique excitant, quod mulieribus, *4.c. 15. Sec* si quādo vrget necessitas, baptismi ministérium non denegamus: profertur Marcion *21. C. m* damnat<sup>o</sup>, quod id munus mulieribus obire *appē. libel.* permiserit: Profertur Epiphanius, qui beatitudine *de vera Eccl. refor.* tæ virginis domini nostri Iesu Christi matri, ne id quidem licuisse scripserit. Sed nos qui legitimi sacramentorum sint ministri, non ignoramus, quid præter ordinē, si fortè ne-

*Concio de sanctis. infant.*

cessitas ita iubet, indulgendum sit, non dis-  
simulandum putamus. Omnes quotquot  
de legitimis ministrorum ecclesiasticorum  
officiis scripserunt, mulieres quidem reie-  
runt, ne illae quae virorum sunt, usurparent,  
& nos reiiciendas non negamus. Sed quum  
necessitas aliud suadet, aliud quoque consi-

*Ruffi. hist.* lium adhibendum esse censemus. Tinxit per  
*Eccl. li. 1.* ludum puerum catechumenū, puer Athana-  
*cap. 14.* sius, nulla suberat necessitas, & tamen Ale-

xander Patriarcha Alexandrinus cum epi-  
scopis colloquutus, de integro tingendum  
non putauit. Idem accidisse suo tempore pue-

*Nicep. hist.* ro Iudæo, scribit Nicephorus, & secundum  
*Eccl. li. 3.* Alexandri sententiam iudicatum. quam in  
*cap. vlti.* eo qui ab histrione per ludum, vel Iudæo,  
vel prophano, siue Ethnico (vt loquuntur)

*Aug. li. 7* tinctus fuerit, recipit Augustinus. An vero  
*de bap. cōt.* quae pueris, atque histriónibus per ludum,  
*Don. c. 53.* & ubi nihil vrget, que item Iudeis simul, &

prophanis licent, mulieribus siquando ne-  
cessitas imminet, non licebunt? Præfertim  
quam Gratiani seculo, & longè antè non

*e. mulier* secus, atque hac nostra tempestate, id in usu  
*Quāuis. de* fuisse constet: haud enim alienum minist-  
*conf. dist. 4.* erium usurpat, qui necessitate coactus vicem  
absentis, implet. Ante Augustinum quoq;

*Calv. in li.* cam consuetudinem Caluiniani inualuisse  
scribunt.

scribunt, illum porrò dubitare an peccent *galli.scrip.*  
 mulieres, quum baptismum administrant: *quo inf. san*  
 at falso testimoniū Augustinum proferunt. Ne  
 que enim mulierum, sed Christianorū lai-  
 corum (vt loquuntur) & eorum qui Chri-  
 stianam religionem nondum sunt professi,  
 meminit Augustinus, vt etiā Caluinus an-  
 notat, atque Augustini seculo tingere mu-  
 lieribus, haud licuisse scribit. Subiicit præ-  
 terea Caluinus, Carthaginensi concilio, ne  
 mulier tingere audeat, caueri, alioqui com-  
 munione se priuatum iri intelligat: sed & *pēdīcē libel*  
 mulcta illam de suo addit. Nā conciliū, mu *de vera ec.*  
 licibus nulla mulcta addita, baptismi fun- *refor.ratio.*  
 ctione dūtaxat interdicit. Voluit ille fortas-  
 se surrogare κώλον illud, loco ei⁹ exceptio-  
 nis quę apud Gratianū reperitur, siue ita in  
 quibusdā exéclarib⁹ legerit Gratianus, siue  
 canonē ipsū in hāc sententiā interpretadū iu-  
 dicarit: Mulier (inquit) tīgere ne audeat, nisi  
 necessitate vrgēte. Caluinus canonē suo ar-  
 gumēto accōmodans, vel auxit, vel inuertit,  
 dū sic legit, Mulier tīgere ne audeat, alioqui  
 cōmunione priuetur. Ita in alienis scriptis  
 ingeniosus esse solet, quæ mutilare falsarius  
 pro nihilo ducit: deinde vt cōmunione pri-  
 uetur, an propterea baptism⁹ à muliere ad-  
 ministratus, nullus erit? An quod, vel impu-

*Concio de sanctis infant.*

ri, vel non satis apti sint ministri, sacramenta ita violantur & inania redduntur, ut ni-

*Augus. de baptif. contra Dona.* hil cōficere possint? Id quidem Donatistē olim asseruerunt, sed ab Augustino, ac Cal lib. 7. c. 53. uino etiam in hēc verba redarguūtur. Por Calu. insti. rò si verum est quod constituimus sacramē lib. 4. c. 15. tum non ex eius manu æstimandum esse, à seq. 16.

quo administratur, sed velut ex ipsa Dei manu, à quo haud dubiè profectum est, in-  
de colligere licet nihil ei afferri, vel auferri  
eius dignitate, per cuius manum traditur.  
Ac perinde atque inter homines, si qua mis-  
sa epistola fuerit, modo satis, & manus, & si-  
gnum agnoscatur, minimè refert quis, aut  
qualis tabellarius fuerit, ita nobis sufficere  
debet manū, & signū Domini nostri in sa-  
cramētis suis agnoscere, à quocunque tandem  
tabellario deferatur. His Donatistarū error  
pulchre refutatur, qui vim, ac pretium sa-  
cramenti metiebantur ministri dignitate.  
Tales hodie sunt Catābaptistæ nostri. Et  
paucis interiectis, aduersus quorū ineptias  
satis valida ratione muniemur. Si cogitem⁹  
nos baptismō initiatos, non in nomen ali-  
cuius hoīs, sed in nomē patris, & filij, & spi-  
ritus sancti, ideoque baptismū non esse ho-  
minis, sed Dei, à quocunque tandem admi-  
nistratus fuerit. Nōnne hæ rationes & mu-

lieribus

lieribus tingendi functionem vrgente ne-  
cessitate, obire permittunt, nō minus quam  
vel Iudæis, vel prophanis, vel histrionibus,  
quibus etiam eandē permittit Augustinus.  
In aliis sacramentis alia ratio est, in quibus  
aliquā à Christo, aut Apostolis, quæ supra  
naturam sit, potestatem, in ministro institui  
legimus, in baptismo nullam disertè insti-  
tutam legim⁹ : nec illorum perinde, atq; hu-  
ius eadem necessitas, vt salutem consequa-  
mur, sacris literis consignata est. Quām ve-  
rò de legitimis baptismi ministris certi sint  
Caluiniani, viri Metenses, ex Bezæ, Tafiniq;  
Caluinianę Ecclesię hīc apud vos ministri,  
quē pbè nostis, literis intelligere poteritis.  
Ita enim Tafinus aliquādo scripsit. Nostrā  
Ecclesiā mirandum in modū perturbauit,  
quod hīc nuper infantē recens partu æditū,  
& in aperto mortis discrimine cōstitutum  
quidam ē vicinis baptismō initiauit, vti &  
obstetrices mortē instātem prætexentes ini-  
tiare sæpenumero solēt. Pueri pater anxious,  
vt à legitimo ministro de integro initiare-  
tur, postulauit, nos re dilata, cæteras Eccle-  
sias consulendas iudicauimus. Huic Beza  
qui tum vnā cum aliis Heluetiorum mini-  
stris, Pissiacum tantam Galliarum tranqui-  
litatem perturbaturus, acceſſerat, in hēc ver

*Concio de sanctif. infant.*

ba respondet. Quod de baptismo ab eo qui  
legitimè vocatus non est, administrato, pro-  
posuisti, in nostro conuentu summa diligē-  
tia conquisitum est. Maior pars in eam sen-  
tentiam concessit, ut baptismus nullus esse  
existimetur: sed quoniam nonnulli, iisque a-  
cerrimi iudicij viri, sese dubitare testati sūt,  
& contraria sententia rationibus, ac magni-  
rum virorū authoritate non caret, quæstionem  
ad Geneuensem Tigurināmq; Ec-  
clesiam referendam iudicauimus. Hæc bo-  
na fide ex ipsis literis Bez̄e, Tafiniq; manu-  
scriptis, & subsignatis, quarum ἀντίγραφα,  
quum opus erit proferemus, descriplimus,  
& ex gallico in latinum sermonem conuer-  
timus: cætera capita omittētes, quæ magna-  
rum postea seditionum fuisse videtur semi-  
naria. Tum, anno 1561. Pissiaci coierant  
selecti duodecim, ac præcipui sacramenta-  
riorum ministri, ut cum Episcopis, qui ade-  
rant, de summa totius doctrinæ Christianæ  
consultarent. Tatum autem abfuit, ut cum  
illis conuenirent, ut ne secum quidē de pri-  
mo Christianæ religionis sacramento con-  
uenire possent. Sed & sibi nō liquere testa-  
rētur, & quæstionem in aliud tempus, & ad  
illas Ecclesias referrent, in quibus ipsi prin-  
cipem locum obtinebant: his præstigiis, sci-  
licet

licet simplicioribus ingeniis imponētes, ac sedulō cauentes, ne quām sibi inuicem sint contrarij, quāmque de sua doctrina incerti vulgō proderent. At Metenses Caluinianæ factionis ministri, illis constantiores, aut (vt verè dicam) audaciores, vel potius diuini ecclesiasticique iuris magis temerarij cōtemptores, de iis, de quibus sacramentariorū coriphæ illi dubitarūt, nihil hæsitantes, cæterisque hanc veluti formulam præscribētes, infantes gemellos, sed non vnius sexus, ab obstetricibus morte imminēte tinctos, Mōtoij, quod non longe ab vrbe castellum dīstat, non multo postquam epistolę illę scriptę fuerunt, hoc est, anno proximo, qui anno 1562. fuit, pridie Idus Nouēbris, de integro tinixerunt: Patrem, matrēmq; puerorum, atq; eos insuper qui anabaptismo interfuerūt, ex vobis pleriq; nouerūt, ne quis hīc nos fabulam narrare, aut falsa pro veris inserere putet. Addamus & illud. Si eū dūtaxat baptismum Caluiniani recipiunt, qui à legitimo ministro fuit administratus, vt Beza cum suis symmystis, gallicæ tranquilitatis perturbatoribus, censuit, sanè quotquot in Romana ecclesia, vel tincti hactenus fuerunt, vel in posterū tingentur, de integro tīngendi erunt. Nam et si ordinē inter

*Concio de sanctif. infantis*

sacmenta numerat ac recipit Caluinus, ta  
men in legitimorum ministrorum nume  
rum ecclesiæ Romanæ sacerdotes non reci  
pit: quod illi<sup>9</sup> verbis potius quam meis vos  
intelligere satius est. Et quanquam gallicè  
scripta institutio id magis disertè explicare  
videtur, tamen latinam proferam: ita autem

*Cal. inst. li. 4. ca. 19. sect. 28. et 31.* ceremonia est primū ex scripturis sumpta:  
deinde quam nō esse inanem, nec superua  
cuam, sed fidele spiritualis gratiæ symbolū  
testatur Paulus. Quod autem tertium in nu  
mero non posui, eo factum est, quod nō or  
dinariū, nec commune est apud omnes  
fideles, sed ad certam functionem specialis  
ritu. Verūm quū hic honor Christiano mi  
nisterio tribuitur, nō est propterea quod su  
perbiant Papistici sacerdotes. Euangelij e  
nim sui ac mysteriorum dispensatores ordi  
nari iussit Christus, non victimarios inau  
gurari, mandatū de prædicando euangelio,  
pascendoq; grege, non de hostiis immolan  
dis dedit. Spiritus sancti gratiam promisit,  
non ad peragendam peccatorum expiatio  
nem, sed ad gubernationē ecclesiæ ritè ob  
eundam, ac sustinendam. Quanquam au  
tem

tem mulieres tacere in ecclesia iubet Pau- <sup>1. Cor. 14.</sup>  
lus, & si quid discere volunt, vt domi viros <sup>1. Timot. 2.</sup>  
suos interrogent, præcipit, nec illis item do-  
cere permittit, ne viris imperare videantur.  
Tamen eum locum ita intelligendum scri-  
bit Hieronymus, vt in viros sit illis doctri-  
na sublata, non autem in cæteras sui sexus,  
idem & Apollo virum apostolicum à mu- <sup>Hiero. epist.</sup>  
liere viâ domini edocatum fuisse, & plerâs <sup>ad Princip.</sup>  
que mulieres virorum instantे penuria, vel <sup>virginem.</sup>  
conniuente negligentia, virilia officia piè  
obiisse testatur. Eudem Pauli locum expli-  
cans Theodulus, prohibuit mulieri (inquit) <sup>Theodulus</sup>  
ne in publico & communi conuentu pri- <sup>presb. Cæle-</sup>  
matum sibi vindicaret, ne ve <sup>Syriae in vl.</sup>  
cathedram occuparet, cæterum à doctri- <sup>ca. ad Rom.</sup>  
na verbi non remouit. sed & Paulus ipse  
Andronicum & Iuniam vocat <sup>πτισημούς</sup>  
<sup>ἐν τοῖς ἀποτόλοις</sup>, id est, celebres, & insi-  
gnes inter apostolos: Apostolis autem do-  
cendi munus nemo (vt arbitror) denegarit.  
Quinetiam viduas & sanctimoniales, sic e-  
nîm vocabant catechismum exercuisse, nō  
quidem promiscue, sed fœminas duntaxat  
rudes & imperitas docuisse, iisque tingen-  
dis operam suam nauasse concilium Car- <sup>c. 12. concil.</sup>  
thaginense testatur, nec vt baptismum ad-  
ministrarent, verū vt baptismi ritus, & quæ <sup>4. Cartha.</sup>

post baptismum vitę ratio sequenda esset  
edocerent. Atque id harum Ecclesiæ mini-  
*Hiero. in c.* strarum officiū tum fuit. Diaconissas quo-  
*vit. epistol.* que in suo sexu in baptismo ministrasse  
*ad Roma.* verbique ministerium exercuisse, Hierony-  
mus scribit. Quod si non solum ministrorum  
Ecclesiasticorum, sed & virorum Christia-  
norum penuria fuisset, & pueri languenti  
periculum imminens suauisset, an Iunian  
illam, aut has, vel ludenti histrioni, vel Iu-  
dæo, vel prophano, in baptismi administra-  
tione anteferendas, aut saltē æquandas non  
putabimus? Sexus imbecillitatem simul, &  
audaciam suspectā habet, ac timet Paulus  
cuius periculum in publicis ecclesiæ munc-  
ribus faciūdum non putat: quæ nimirū in-  
telligunt, quotquot de reiiciendis mulieri-  
bus loquuntur. At ministeriū, quod his qui  
foris sunt (vt ille loqui solet) & in Christi  
ecclesia non numerantur, tum demum cre-  
ditur, quum aliter subueniri nō potest, nec  
mulieribus, ni fallor, quoties eadem neces-  
fitas occurreret, idem denegasset. Quod ne  
nimis nouum fortasse videatur, quādoqui  
dem ex nouo in promptu habere non pos-  
sumus, exemplum ex vetere instrumēto pe-  
tamus, Sephoram proferimus, quæ filiū cir-  
cuncidit, Mose ob intermissem eiusdem cit-

cuncisionē graui valetudine affecto, vt Hebræi interpretantur. Quamquam non defunt, qui non patrem sed filium ipsum in morbus incidisse existimant: uter fuerit non laboro, dum & egrum cōualuisse, & declaratam fuisse vim circumcisionis intelligo.

Tertul. ad-  
uers. Iude.  
Augu. in  
questi. sup  
exed. c. II.

Peccasse Sephoram obiicit Caluinus, quod alienum ministerium coram Mose inuaserit. Sed quid profuit Mosis præsentia, quū ministerium per valetudinem implere non posset? An officij sui oblitus calumniatorē expectabat Caluinū, qui illum obeundi sui muneric admoneret? Si potuit, Sephoræ conatus phibere. & suū munus obire debuit: Si nō potuit, Sephoram frustra temeritatis Caluinus arguit, neque enim iure accusari potest, quæ in ipso temporis articulo, vel viro, vel filio, vel vtriq; subuenerit. Sed quandoquidem rationes defunt ad cōsueta præsidia cōfugit Caluinus, & vt ferox illius ingenium est, & ad maledicendum sua natura proclivè, Sephoræ quasi stolidè impudentique mulierculæ grauiter insultat, quæ præsente summo propheta, tantum facinus (vt ille putat) designarit. Nec videt insanus eadē opera Mosem ipsum vel stupiditatis, vel lēsæ, proditæq; adeo diuinæ maiestatis argui. Si enim peccatū atrox fuit, an Moses

*Concio de sanctif. infant.*

tam vxorius, aut potius tam excors, atq; dr  
uini asserēdi cultus oblitus esse debuit, qui  
vel importunę mulieris audaciā reprime  
re, vel quæ sui munera erant, aut ipse, aut a  
liena opera præstare non potuerit? Imò vo  
rò quonià p̄sente, ac vidente viro, circun  
cisionem Sephora administravit, viri mai  
dato, atque auctoritate administrasse existi  
māda est. Quamquam Sephoram ab ange  
lo coactam id fecisse scribit Tertullianus  
*Tert. aduer  
Iudeos.* in quē si ita videtur, aut in Mosen Caluin  
suū etiam virus euomat, Sephoręq; æquio  
rē se p̄beat, quę si in culpa est, magnis au  
thoribus se peccasse testabitur. Sephoram  
pr̄terea peccasse faciamus, et si id inficiari  
iure possumus: quid tum? Circūcisio nimi  
rum quamuis non ritè administrata, vera, ef  
ficaxq; nihilominus fuit, quod vel ęgri re  
cuperata valetudo declarauit. An Mosis fi  
liū deintegro circuncidendum, si natura ita  
pateretur, aut circumcisionem eidem inuti  
lem fuisse Caluiniani dicent, quod legitimis  
ministri opera circumcisus non fuit? tā per  
frictę quidem sunt frontis, vt nihil non au  
deant, sed tamen vtrumque negaturos ar  
bitror, & rationem necessitatis habituros.  
Alioqui qui à laicis (vt vocant) vel pueris  
vel Iudeis, vel catechumenis, qui legitimis  
baptismi

baptismi ministri nō sunt, vrgente necessitate tingūtur, tinge de integro deberēt: quod omnis antiquitas vno cōfensu pernegauit.

*Cyril.li.4.  
in Ioā.c.51*

Longè aliter Sephoræ exemplum Cyrillus interpretatur: Circuncisionem enim carnis spiritalis circuncisionis, Sephoram autē ecclesiæ typum fuisse scribit: nec Sephoræ te- meritatem arguit, vt Caluinus, sed arcanam diuini consilij rationem subesse existimat. Itaque quod diuini consilij μυστήριον vocat Cyrus, Caluinus intolerādum facinus ap- pellat. Porrò quod singulare esse Sephoræ exemplum idem ait, id quidem non nega- mus, si Sephorā quis spectet, hoc est mulie- rem circuncisionis ministram, sin causam cur illa virorum officio functa sit, considerabit, hoc est necessitatem, singulare esse nō potest. Hæc enim interuenire sæpenumero solet: quod in sacris literis interpretādis potissimum perpēdere debemus: quæcunque scripta sunt, (inquit Paulus) ad doctrinam Romā.15. nostram scripta sunt. Verùm hic non per- sonas, sed causas spectare, atque expendere in primis consentaneum est. An non legi- stis (inquit Christ⁹) quid fecerit Dauid quā- „ Mat.12. do esuriit, & qui cum eo erant, quomo- „ do intravit in domum Dei, & panes propo- „ fitionis comedit, quos non licebat ei edere,

*Concio de sanctif. infant.*

nequeiis qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus? An non legistis in lege quia sacerdotes in templo sabbatum violent, & sine crimine sunt? Videtis quid possit, necessitas quae ut vulgo dici solet nulla lege constringitur.

*Beza de re sacramentorum lib. 2.* Sed & Beza ex singularibus exemplis non ait: Sic enim ex viuis Abrahami exemplo hominem non ex operibus, sed ex fide iustificari Paulus colligit. Quod argumentandum genus in Abrahamo validissimum fuit, ut quod unum omnibus, eademque salutis ratio constet, vel quod Abrahamus apud Iudeos iustissimus haberetur, ut qui illi iustitiam detraxisset, omnibus detraxisse videretur. In aliis vitiosum est, nisi eadem in ceteris subesse ratio comprobetur. Quid? quod et turbine quo Iona agitata est nauis, nullum unquam vetum oriri, vel surgere Calvinus infert, nisi speciali Dei iussu? Quod etsi absurdissimum est, neque enim communis hic causa vel probabilis ratio proferri potest, tamen id aliis nisi seipsum unum accusare volet, obiciere non potest. At in Sephorii exemplo communem causam agnoscimus nempe necessitatem, quae quoties occurrit, non ut decet, sed ut licet oportunis auxiliis vertendum est. Hinc laudatur duas hebraeas murieres

lieres, quæ patria capta , quum Iudaicas leges obseruare prohiberentur , filios nihilominus circunciderūt. Cur autem mulieribus nunc tam iniqui sint Caluiniani , ut illos nihil non denegēt , nunc erga easdem tā liberales vt nihil non permittant . Mulieres in ecclesia tacere iubet Paulus, Tertullian<sup>o</sup> , & omnis antiquitas loqui vetat . At Caluiniani , cæterique nostræ ætatis hæretici , mulieribus promiscue cum viris hymnos publicè in templis modulari non solum permittunt , sed etiam iubent . Quis verò istud vñquam nisi ab hæreticis fortasse , factum dicere potest ? Accusatur hoc nomine ab Hieronymo Pelagi<sup>o</sup> , ab historicis ecclesiasticis Paulus Samosatenus , ab Epiphanio Euchitæ , siue Massaliani . Quid enim magis hominum mentes permouere , ac pellicere potest , quam suavis cantus , præsertim verò muliebris vocis numerosę librata modulatio : Quàm multi nō tam verba ipsa , quàm dulces vocum notant flexiones ? itaque multo plures istæ cantiones , Psalmorumq; modulationes , quàm ipsæ ministrorum euangelicorum (vt se illi vocant) conciones , ad se se illexerūt . Si mulieribus loqui in publicis conuentibus non licet , nónne canere , & vocis suavitatem ostentare multo minus li-

*Concio de sanctif. infant.*

cet? Quod si Paulū, Tertullianumq; de docendi functione loquutos putant, audiant quomodo vtrumque antiquus scriptor interpretetur Cyrilus Hierosolymitan⁹. Con-

*Cyri.hiero  
in prefatio.  
cateches.*

uentus porrò virginalis (inquit) sic congetur, vt vel psallat, vel oret, vel legat, ita ut labia quidem loquantur, vox autem ad alienas aures non perueniat. Mulieri enim loqui in ecclesia non permitto, & nupta quoque similiter agat, & oret labia mouendo, vt nascatur Samuël, vt sterilis anima tua pariat exaudientis Dei salutem. Sed quid Cyryllum profero, quū sese satis ipse Tertullianus interpretetur. Non permittitur (inquit) mulieri in ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officij sortisbi vendicare. Videtis quomodo loqui, & docere tanquam diuersa collocentur, alterumq; alteri, vt maius quiddam subiungatur. Audiamus, & id Pelagio sub alieno nomine improperantem Hieronymum. Ne

*Hiero.li I.  
aduer.Pel.*

sufficit tibi (inquit) dedisse agmini tuo (mulieres intelligit) scientiam scripturarum, nisi si carum voce & canticis delecteris. Iung enim & ponis in titulo quod & foeminis Deo psallere debeant: quis enim ignorat psallendum esse foeminis in cubiculis suis, absque

absque virorum frequentia, & congregati-  
one turbarum. Verum tu donas quod non  
licet : ut quod verecundę facere debeant, „  
& absque villo arbitro, magistri autoritate „  
proclament. Si verò nobis obiicient virgi- „  
nes sacras (ut Romanæ ecclesiæ mos est) in  
suis templis alternos canere hymnos, psal-  
mósque modulari, illud primum animad-  
uertat virgines istas haudquaquam promi-  
scue cum viris, sed Deo, sibi que canere, hoc  
est, in priuatis suis monasteriis, quæ ab ho-  
minū frequentia separata esse debent, quod  
nomen ipsum indicat, & antiquæ discipli-  
næ seueritas iubet, ut nemini offendiculo ef-  
se possint. Quemadmodū & in monasteriis  
à Paula institutis, virgines olim cecinisse,  
testis est Hieronym⁹: & in aliis monasteriis *Hieroni. in*  
*id moris tū fuisse, scribit Augustin⁹. Quod si epitaphio*  
hoc nostro seculo, monasteria passi adeūdi,  
ipsaq; virgines cōueniendi viris libera aliquādo fit potestas, istud nimirū temporum  
iniquinati, disciplinæque violatæ tribuen-  
dum est.

Neque porrò tam morosi sumus, ut nudis Christi verbis addicti, quibus baptismi necessitatem indicat, Christi gratiam, Christianorūmq; salutē sacramento prorsus ad-  
dictā putem⁹, vti Caluin⁹, caluiniāniq; falso

*Concio de sanctif. infant.*

*Aug.li.4 calumniantur. Multum vtique ab ea sente-*  
*adu.Dona. tia absimus:hominem enim fide præditum*  
*ca.23. si à baptismo maior aliqua necessitas prohi-*  
*Ambr. de buerit , ne cum tinctus mortem obierit, in*  
*morte Va. beatorum numero collocamus, eorum sci-*  
*lenti. Impe Bernar.epi. licet, de quibus bonam spem, certamq;, nisi*  
*77.ad ma. quid aliud obsit, concipere debeamus . Sed*  
*Hugonē de inter infantulos , aut in matrū vteris adhuc*  
*s. Victore. conclusos , aut præ ætate nondum rationis*  
*compones, & eos qui prouectiore ætate ra-*  
*tione sunt prædicti, multum profectò inter*  
*esse palam est: In his enim quoties vrget ne-*  
*cessitas, vel martyrum( vt vocant) alterū ba-*  
*ptismum , & sanguinis lauacrum appellat*  
*Tertullian⁹, vel fides priuata agit, & baptis-*  
*mi vicem implet: in illis nec fides priuata ei-*  
*se potest, nec aliud præter martyrium, quo*  
*baptismi vice fungatur, sacræ literæ prodi-*  
*derunt. Aut igitur cum Pelagianis peccatū*  
*originis non natura, sed sola imitatione ho-*  
*mini inesse, aut infantulos nondum baptis-*  
*mo suscepto mortuos, promissa selectis fa-*  
*licitate priuatū iri fateamur, necesse est. Sub*  
*lata enim hæreditaria ex parentibus sanctifi-*  
*catione(quā prorsus euersam, explosamq;*  
*cōfidimus)quā inter fidelium , infidelium*  
*que liberos nihil intersit, de utrisque eandē*  
*fententiam non ferre non possumus . Nam*  
*si illis*

si illis sanctificationē affingimus, quid decedēti in matris vtero infantulo accidat, videamus. Mortuum quippe sanctificatio in cœlum rapit, eundē peccatum originis cœli aditu prohibet, atque excludit. Duobus itaque locis consistat necesse est, quod ne Christi quidem corpori Caluiniani admittunt. Hinc ergo aut peccatum originis, aut hæreditariam hanc sanctificationem commentitiam esse conuincimus. Porrò peccatum originis concors omnium seculorum fides recepit. Superest ut hæreditariam sanctificationem à Caluinianis inuectam, impium, Christianæ doctrinæ repugnās, multis erroribus intricatum, infantulis prorsus exitiale commentum existimemus.

Quanquam autem Caluiniani Ioannis locum, quo neminem, nisi prius ex aqua & spiritu fuerit natus, in regnum Dei introire pronuntiat, in aliud sensum detorquēt, ac de baptismi sacramēto intelligi negant, pferuntque ex ipso etiam Ioanne aliam nō dissimilem loquēdi formulam, quum ait, Nisi manduaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nō habebitis vitam in vobis; ubi nec sacramentum corporis & sanguinis Christi, aut coenam dominicam (vt illi loqui malunt) intelligi etiam confir-

Ioan. 3.

Ioan. 6.

v.r.s. 52.

H iiij

*Contio de sanctif. infant.*

mant.addunt præterea eos qui Eucharistiā  
inde infantibus porrigendam iudicarunt,  
Romanæ Ecclestæ sententia damnatos. Ta-  
men vel illis, si se solito non nihil æquiores  
præbebunt, vel saltem auditori non perui-  
caci satisfacere difficile non erit. Tria in sa-  
cris literis interpretandis potissimum con-  
siderare debem⁹, naturam rei de qua agitur,  
cæteros locos, qui eadem de re tractant, nun  
ex his germanam interpretationem eruere  
possimus, postremo ecclesiæ vniuersę iudi-  
cium. Ea igitur ordine persequamur. Baptis-  
mus aditus est in Christi Ecclesiam: hoc re-  
ferante ( vt inquit Caluinus ) Ecclesiæ ia-  
nuæ referantur, nō referante, occluduntur.  
Cœna Domini, aut sacramentum corporis  
Christi, eorum est, qui iam in Christi Eccle-  
siam recepti, iudicio etiam pollent, alioqui  
iis qui nondum præ cœtate rationis sunt com-  
potes, haud quaquam debet exhiberi, vt di-  
ferte scribit Paul⁹. Probet (inquit) seipsum  
homo, & sic de pane illo edat, & de calice bi-  
bat. Qua ratione, maximè ecclesia Romana,  
imò verò ὅπλη μετανοή, hoc est vniuersa, eos q  
cœnā Domini infantib⁹ impartebatur, iure  
dānauit. Hinc baptismū necessariò adhiben-  
dū, vt quis inter Christianos cōnumeretur,  
aut Ecclesiæ sit mēbrū (vt loquuntur) perspi-  
cuum est. at de cœna nihil tale reperi:re est,

imò verò tātum abest, vt necessariò semper  
fit administranda, vt pueris antequam ra-  
tionis sint cōpotes, meritò denegari debeat.  
Ad hæc baptismus antè cœnam institutus  
fuit. Hæc enim sub ipsam Christi mortem *Mat. 26.*  
quasi testamento legata est. Baptismus à Io-  
anne Baptista inchoatus, mox Christi initia-*Matth. 3.*  
tione omnibus numeris absolutus, magno  
tēporis interuallo cœnā anteuerit. Quid?  
quod Christus apostolos ad propagandum  
euangelium mittens, vt tingant eos qui cre-  
diderint, præcipit, non item vt iisdem cœnā *Mat vlt..*  
administrent. Et Caluinus ipse ait infantu-*Calu. insti*  
los, etiam si illis cœna non exhibeat, alio *lib. 4 c. 16*  
genere cibi à Christo pasci, at in Christi Ec-*scđ. 31.*  
clesiam non nisi baptismō velut deferente *Calu. li. 4.*  
ingredi. Ioannem præterea ex aliis interpre-*c. 1 scđ. 20*  
mūr. Qui crediderit (inquit Marcus) & ba-  
ptizat<sup>9</sup> fuerit, saluus erit. Quū hīc de baptif-  
mo, qui docēdi functioni subest, id est, adul-  
tis administrato loquatur, quibus priuata  
& actualis (vt vocant) fides, vt salutem con-  
sequerentur, nisi baptismus accederet, haud  
satis fuit. Quid de illis dicemus infantulis  
(inquam) qui aliena fide per baptismum in  
Christi familiam, id est, ecclesiam adoptan-  
tur? nōnne multo magis, imò verò necessa-  
riò baptismus illis erit administrandus? Et

*Concio de sanctif. infant.*

quanquam mox dum subiungit, Qui verò non crediderit, condemnabitur, non repetit verba illa, nec baptizatus fuerit. tamen non ideo omissum membrum istud putat sacram

rum literarum periti, quod baptismus non

*Ber. ep. 77.* sit necessariò adhibendus, vt quis salutē cōsequatur. Sed quod ea vrgere aliquando ne cessitas potest, vt omissus nō noceat, fidēsq; vt supra docui, baptismi vice fūgatur. Nullum enim effatum tam certum est, quin aliqua nōnunquam exceptione restringatur. Sed qui rationis sunt compotes, de quibus duntaxat loquitur Marcus, si fide carent, salutis, vitæq; æternæ cōpotes esse nullo modo possunt. Addamus circūcisionem baptismi typum necessariò olim administratā. Quid de iudicio vniuersæ ecclesiæ dicam quæ priorem Ioannis locum de baptismō semper interpretata est. Alterū, et si de cœni intellexit, tamen infantibus eam porrigendam negauit, quod præ ætate seipso probare non possint, nō quod hic locus de cœni nō intelligatur, vt temerè caluiniani astruūt

*Inno. pa. ad pat. Mile. concilij.* Quamquam in Romana ecclesia infantib; cœna aliquādo administrata est, idque Au gustini seculo receptum fuit, Ioannem autem mirandum in modum illustrabimus, si quā variè in sacris literis vita usurpetur, edissic remus

*Aug. epi. fol. 106.*

remus: aliquando enim ea describitur, quæ  
piis cum impiis est communis. Veluti quū  
vtrique voce Christi ad extremum illud iu-  
dicium properantis excitabuntur. Vita etiā  
nonnunquam ea nuncupatur, quam vocāt  
~~επεργεν~~ ab hac nostra vita scilicet, specie,  
naturaq; diuersam, quod spiritualis sit, à Dei  
spiritu, qui veravita est, profecta. Hinc Pau-  
lus, qui fuscitauit Iesum à mortuis, fuscita-  
bit & mortalia corpora vestra propter in-  
habitantem spiritum in vobis. Postremo vi-  
ta quædam est ~~μονογενής~~ hoc est, eiusdem cum  
nostra carne generis, quam Christi caro car-  
ni nostræ Sacramento Eucharistiae infusa  
suppeditat: in quam sententiam posteriorē  
Ioannis locum antiqui scriptores interpre-  
tantur. Propriè enim in primis, & pro re-  
nata, hoc est, pro argumēti quod tractat na-  
tura, Ioannes loqui confuevit. Et quoniam  
de Eucharistia sermonem instituit, vitam  
quam Eucharistia fudderit, eūdem indicas-  
se manifestum est. Cuius priuatio, nisi in  
contemptum repudiatur, salutis priuationē  
necessariò non infert. Quod si hunc locum  
de alio cibi genere cum Calvinianis inter-  
pretari volemus, vel de spirituali manduca-  
tione, vt etiam antiqui scriptores interpre-  
tantur, & primam, postremāque interpre-

*Concio de sanctif. infant.*

tationem recipiūt, quid id oberit, modo nullam sumendæ cœnæ necessitatem imponi intelligamus? Nam quamuis eadem propositum loquendi formula, tamen & utriusque sacramenti natura, & alij scripturæ loci, & scriptorum ecclesiasticorum simul, atque universæ Ecclesiæ consensus, diuersam utriusque sententia ex Ioāne prolatæ interpretationem indicant, ut illic manifesta necessitas, hic nulla subesse confirmetur. His rationibus adducti, priorem de baptismo cum antiquis interpretibus, alteram de Cœna vel de spirituali mandatione (ut loquuntur accibo, etiam cum pluribus ex illis interpretari possumus). Quemadmodum historiæ Ecclesiasticae Magdeburgicæ authores eiusdem concionis initium, præsertim versus illum quinquagesimum secundū interpretari videntur. Aliunt enim Christum in hoc sexto Ioannis capite, multa multis dæ causis proposuisse, mox quinquagesimo quinto versu sermonē de cœna instituere apertè significantes quinquagesimum secundum versum supra cōmemoratum, de cœna omnino non intelligi.

*Bēza dialo.  
I. derē sacr.* Beza quoque eorum opinionem magis probat, qui illam Christi concionem, nō de cœna, sed de perpetua ipsissimi Christi cōmunicatione

I municatione intelligunt, quæ fit per fidem, „  
 etiā quū simplex promissio absq; externis „  
 adiūctis sacramētis apprehenditur. Tametsi „  
 vnā cum Caluino spiritalem manducatio- „  
 nem, vt à corporali siue reali (vt loquūtur) „  
 à nostris discernitur, tanquam inanem ideā „  
 reiicit, & nos inferi scribit in illud ipsū chri- „  
 sti corpº, quod nūc est in cœlis, & nō alibi. „  
 Siue proponatur nobis apprehēdēdū in nu- „  
 do & simplici verbo, siue in sacramentis, id „  
 est, cœna & baptismo, quod nō minus, nec „  
 aliter in baptismo quam in cœna nobis cō- Beza dia. 2  
 municari Christi corpus existimet, vti antè dere sacra.  
 illum Caluinus quoque tradidit. Sed quam „  
 perperam sentiant, suis ipsi rationibus con- „  
 uincuntur. Si enim ex æquo Christi cor- „  
 pus nobis, tam in baptismo, quam in cœna „  
 communicatur, qui fit vt infantes ad bap- „  
 tismum Caluinus, Caluinianique admittāt, „  
 ad cœnā nō admittāt? infantes nō sunt ferē- „  
 do solidō cibo, inquit Caluinº, si reipsa idē Cal. inst. li  
 cibus est, qui ex æquo, & in baptismo, & in 4. cap. 16.  
sæc. 30. cœna solidus non est? Nam quod solidus  
 sit, id ex se, non ex diuersa communicandi  
 ratione habeat, necesse est. Addit& illud, In  
 cœna iubemur nos probare, ac tum demū  
 de pane illo edere, & de calice bibere. Si in  
 baptismo idem panis, hoc est Christi corpº

*Concio de sanctif. infant.*

idem calix, id est sanguis, nobis ex æquo, ac tam verè re ipsa quam in cœna cōmunicatur, cur hic quoque vt nos probemus non iubemur? Aut cur potius infantes, qui se nondum probare poslunt, à baptismo non arcentur? vt etiam Anabaptistæ, arcere nituntur. Longè igitur aliam in baptismo, aliā in cœna Christi præsentiam intelligere debemus. Sed ad versum illum Ioānis quinquagesimum secundum redeamus: quām multas in sacris literis loquendi formulas notare possumus, specie similes, sensu prorsus dissimiles? Petra erat Christus, Ego sum vītis vos palmites, Hoc est corpus meum, Nónne hic verbum, est, variè accipi videamus? Ex aliis igitur locis, ex natura rei de qua fit sermo, ex consensu Ecclesiæ vniuersæ, vt nuper dixi, quærenda interpretatio est.

*Calui. inf.*      *Hinc quoque, vt de eadem fidelia, vt in*  
*l. 4. c. 16.*      *proverbio est, duos parietes dealbē, caluinia*  
*scit. 26.*      *næ cauillationi respondere possumus, qua locum hunc Joannis Caluinus peruertere conatus, nasci ex aqua, & spiritu nihil aliud interpretatur, quam illustrari, eluiq; spiritu, qui purgando, atque irrigando fideles animas, aquę vice fungitur. Sic enim apud Matthæum Ioannes Baptista prædixerat, futurū scilicet, vt suos Christus tingeret, spiritu sancto & igni:*

& igni: vbi ignis vim dūtaxat, efficaciāmq;  
spiritus designat. Et hæc quidem Caluinus.  
Quid si respondeo in plærisque græcis co-  
dīcibūs, nullam ignis fieri mentionem, vt  
etiam notauit Erasmus, sanè Caluiniana ex  
simili loquendi forma ducta argumentatio  
prorsus cōcidet. Sed vt vulgaria exempla-  
ria sequamur, vtrumque locum nihilomi-  
nus de baptismi sacramento intelligendū,  
& alterum ex altero interpretandum arbi-  
tror. tum verò ignem & aquam vtrōbique  
vim quidem designare diuini spiritus. Ve-  
rū menim uero illic ignem additum non so-  
lum vt *ἰνέργειαν* illam spiritus in baptismō  
designaret, sed & fortasse vt speciem, qua di-  
uinus ille spiritus nobis aliquando repre- *Cyril. his*  
sentaretur, ostenderet. Specie siquidē ignis *ro. categ. 3.*  
dum apostolis die Penthecostes vberius in-  
funditur, sese cōspiciendum prebuit. Sicut  
hic aquam additam, vt & eandem *ἰνέργειαν*  
significaret, & elementū insuper esse decla-  
raretur, quod baptismi ministerio subser-  
uiret, essetque diuini spiritus sedes: sic enim  
vocat aquam baptismi Tertullianus, quam *Tertul lib*  
animare ait, & de pristina sanctificationis *de baptif.*  
prerogatiua, sacramentum sanctificationis  
consequi inuocato Deo. Superuenit enim  
(inquit) statim spiritus de cœlis, & aquis

*Concio de sanctif. infant.*

„ supereft, sanctificans eas de feme tipſo, & ita

„ sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.

„ iisdem in salutem hominis temperadis an-

*Iust. 5.* „ gelum Dei sanctum adesse testatur, sicuti in

„ piscina Hierosolymitana angel⁹ Dei aquā

„ turbabat, in quā qui primus insiliisset, cura-

„ batur. Quę figura corporalis medicinæ ( vt

„ ille refert) spiritalem medicinam baptismo

„ conferēdam scilicet cauebat. Baptismo de-

leli mortem per ablutionem delictorum,

eximi reatum ( sic enim loquitur ) eximi &

pēnam, idem disertè scribit. Præterea hunc

Ioannis locum de baptismo interpretatur,

indéque baptismi necessitatem infert, vita-

*Cypria. li. I* „ lem etiam baptismi aquam & salutarem ap-

*epist. 6. ad* „ pellat Cyprianus, qua abluti vitam & salu-

*Magn.* „ tem consequuntur. Cyrillus verò Hierofo-

*Cyr. cat. „* „ lymitanus eundem Ioannis locum diligenter

„ interpretatur: non tanquam aquæ sim-

„ plici studeas huic lauacro ( inquit ) sed vt

„ spirituali gratiæ, quæ cum aqua datur. Nam

„ vt illa quæ in idolorum delubris offerun-

„ tur, quum natura sint pura, inuocatione de-

„ monū impura efficiuntur: Sic contra aqua

„ simplex per sancti spiritus, Christi, & patris

„ inuocationem, accepta virtute, sanctitatem

„ consequitur. Quum enim duplex sit homo

„ ex anima & corpore compositus, duplex

quoque

Quoque purificatio, incorporea quidem incorporeo, corporea verò corpori. Et aqua sanè mundat corpus, Spiritus autem signat animam, ut abluti in corpore aqua munda, & repurgati in corde, accedamus ad Deum.

Qui itaque in aquam descensurus es, non aquæ simplicitati mentem adhibe, sed spiritu sancti virtute salutem suscipe, nam sine virtusque ad perfectionem deduci non poteris. Non ego sum qui dico, sed dominus Iesus Christus, ille qui eiusdem rei potestatē habet, Nisi, si quis (inquit) renascatur super, & addit ex aqua & spiritu non poterit intrare in regnum Dei. Neque si quis aqua baptizetur, absque spiritu, perfectam habet gratiam, neque si quis bene cōpositis, probisque sit moribus, non recipiat autem signaculum aquæ, intrabit in regnum cœlorum. Hæc ille. At Cyrillus Alexandrinus in hunc ipsum locum ita scribit. Quemadmodum viribus ignis intensius aqua calefacta non aliter quam ignis virtus, sic spiritu sancti operatione ad diuinam aquæ reformantur virtutem, qua baptizati corpus abstergunt. Porrò quum vna cum Irenæo Caluiniani sacramentum re terrena, & coelesti constare fateātur, aquam à spiritu aliud quiddam esse manifestum est. Alioqui argutiarū sua-

*Concio de sanctif. infant.*

rum specimen aliquod ædant . Et quid in baptismo terrenum sit, quid item coeleste cōmonstrent , aut aquam à spiritu diuersam esse fateantur. Verum enim uero ut nouum quid semper parit Africa , sic isti noua semper, sed à veteribus hæreticis procreata móstra nobis proferunt , ac duos antiquorum

*Augu. de hæretiquorum miscent errores. Manichæ  
bare. & li. sensile sacramentum, hoc est aquam reiicie-  
2 c. 2. cōtr. bant, Pelagiani insensile, id est, vim spiritu-  
duas. Peb non admittebant. vtrumque errorē ample-  
ctuntur Caluiniani: Et si enim aquam nos  
reiiciunt , at eadem tamen qua Manichæ  
ratione abutuntur, nempe res spiritales ter-  
renorum elemētorum opera haud quaque  
administrari, ac sic demū in baptismo vī  
omnem diuini spiritus euertūt . Quid Hi-  
ronymum, Augustinum , ac cæteros huius  
notæ scriptores ecclesiasticos commemore  
quorum scripta huc congerere nimis  
superuacaneum est. Quamuis itaque igni  
& aqua, ille à Matthéo, hęc à Ioāne, addan-  
tur, tamen & in eundem, & diuersum scopo  
adduntur, vt supra notaui, & vtrobique ba-  
ptism⁹ designatur. Nam apud Matthæum  
apud Marcum, item, & Lucam , quūm Io-  
nes Baptista baptismum suum cum Christi  
baptismo conferat, certo certius est, eum de  
baptism⁹*

baptismi fuisse secramēto loquutum: Quū autem in Ioannis euangelio, natuitatem ex carne cum natuitate ex spiritu, aut naturalem generationem cum renascentia, siue regeneratione, Christus conferat, eadēque loquendi forma, quam apud Matthæū Ioānes de baptismo loquens usurpauit, vtatur, Christum de baptismi quoque sacramento loquutum iure assuerare possumus: quam interpretationem vnuis, idēque omnibus seculis receptus vniuersæ ecclesiæ cōsensus satis confirmat.

Id autem in tota hac disputatione, cāterisque quę de diuinę gratię nobis per sacramenta infundendę ratione suscipiūtur, Calvinū, caluinianosque maximè fecellit, quod Zuinglium sequuti, sacramenta nuda collatae nobis gratiæ signa, ac quasdam velut tesseras solum modo esse existimant, ac gratiam, quam baptismō abstulerunt, velut supposita ista sua sanctificatione compensare nituntur. In qua sententia quum aliquādo Bucerus fuisset, tādem ad se rediit, eandēm que retractans, gratiam per sacramenta cōferrī ingenuo confessus est. Testatur id & confessio Augustana, baptismūmque ad consequēdam salutem necessarium esse declarat. Quod si baptismō confertur gratia, pecca-

Bucerus in  
c. 3. Math.

*Conecio de sanctif. infant.*

torum remissionem antecedere necessariū est. Hic enim primus, ut supra dixi, nostræ iustificationis est gradus. Baptismum porrò nudum non esse signū baptismi typus edocet, alioqui vi cœlit⁹ infusa τὸ οὐπωθὲν longè typus ipse superaret, ac multò plusquam ipsum sacramentum, eiusdem typus & umbra possit. Piscinæ Hierosolymitane aquā baptismi typū nemo inficiabitur. Ea ab angelo turbata vim in se cœlestē, qua c̄ gros curaret, statim recipiebat. Nec ante c̄ gri cōualeſcebant, quam aqua mergerentur. Nónne multomagis diuinus ille spiritus aquæ baptismi infusus, ipsa tinctione purgabit? An maiorē spiritus gratiam legis Mosaicæ umbris, quam euangelicę veritati, sacramentisque adeo à Christo institutis, ascribere audebimus? Quid? quod sacramēta nuda esse signa ( si quando illis obiicimus ) Calviniani sedulo negant, grauemq; sibi iniuriam hinc fieri quiritantur, ac tā verè Christū in coena esse afferunt, quam verè ipsa Christi verba indicant. Tum verè offerri à Deo, & à fidibus percipi non tantum fructum corporis & sanguinis, sed ipsissimum etiā corpus & sanguinem Christi, quām verè offeruntur externa illarum rerum symbola, id est, panis & vinum, tam verè baptismi

quam

quam coena, nos vnum cum Christo fieri.  
Hoc igitur & in baptismō recipient cōsentaneum est. Nimirum vt ablutio exterior,  
interiore secum trahat, atque vt tinctum  
vtraq; simul purgare confirmetur. Quūm  
enim vnā cum veteribus sacramenta re te a  
rena, & cœlesti constare fateantur, aquam  
spiritu aliud quiddam esse, & vtrumque i  
baptismo esse fateantur, necesse est, vt ani  
mam spiritus, perinde atq; aqua ipsum cor  
pus, abluat. Addo baptismū signum esse nō  
posse, quin sit sacramētū, sacramētū (inquā)  
quod re cœlesti, terrenāque constet: necessa  
rio itaque & semper efficacem adesse spiri  
tum, & baptismum non inane esse signum  
cōficitur, hoc est baptismū non antē collatę  
sed illi⁹ quę in ipsa aquæ īmersione per ver  
bū Dei exhibetur, sanctificatiōis esse signū.

Quomodo autem diceremur tingi in  
peccatorum remissionem, si baptismo pec  
cata non remitterentur? vt supra ex concil  
lio Constantinopolitano, Mileuitano, Car  
thaginensiisque docuimus, vt apertè docet  
Petrus nos tingi in remissiōne peccatorū,  
mox spiritu sancto donari, vt etiam in Leui  
ticum docet Cyrilus, siue Origenes. Vtrius *Cyril.li.2.*  
enim horum sint libri illi, ambigi video. *in Leuitic.*  
Quomodo dixisset Cyprian⁹ infantes quo- *Cypri.li.3.*  
*cypist.8.*

*Concio de sanctif. infant.*

quo tempore, vel statim à partu tingendos,  
vt si fieri potest, nulla anima perdatur, nisi  
infātes peccato originis corruptos nasci exi-  
stimasset, & peccata baptismo remitti pro-  
confesso habuisset, quod sub finem eiusdē  
epistolæ disertè confirmat. Quanto magis  
(inquit) à baptismo prohiberi nō debet in-  
fans, qui recēs nat⁹ nihil peccauit, nisi quod  
secundum Adam carnaliter natus, contagiū

*Remissionē mortis antiquæ primā natuitate contraxit.  
peccatorū legit. Hie. li. 3. aduer.  
Pel. sub fi.* Qui ad remissam peccatorum accipiendam  
hoc ipso facilius accedit, quod illi remittū-

neminem à baptismo, atque gratia Dei de-  
bere prohiberi colligit. Alio loco etiam pec-  
catorū remissionē baptismo dari apertè do-  
cet. Et antè Cyprianū, Tertullianus de iis lo-  
quens qui ius baptismi conferendi habent,  
„ ita scribit. Alioqui etiam & laicis ius est. Et  
„ paulò post de iisdem, sufficiat scilicet, in ne-  
cessitatibus, vt vtaris, sicubi aut loci, aut té-  
poris, aut personæ conditio compellit. Tūc  
„ enim constantia succurrentis excipitur, quū  
„ vrgit circumstantia periclitantis. Quoniam  
„ reus erit perditī hominis, si supersederit pre-  
stare, quod libere potuit. Hic hominē perdi-  
*ori. in ea 5 epi. ad Ro.* ait, cui baptismus non fuit administratus.  
Quemadmodum etiam Origenes ex tradi-  
tione

tione apostolica tingi infantulos scribit, vt  
genuinę fordes peccati per aquā & spiritū  
eluātur. Cyrilus aut qui sub Constantio &  
Constante Impp. Constantini magni filiis,  
Hierosolymitanæ ecclesiæ præfuit, Baptis-  
mum captiuitatis liberationem, peccatorū  
remissionem, mortem peccati, animæ rege-  
nerationem, signaculum sanctum, & inde-  
lebile. & Hieronym⁹ baptismō peccata ve-  
tera cōscindi testatur. Et alio loco. Omneis  
homineis aut antiqui propagatoris Adam,  
aut suo nomine tenentur obnoxij: qui par-  
uulus est, parentis in baptismō vinculo sol-  
uitur. His accedit Cyrilus Alexandrinus.  
Aquis quippè diluuij totius mundi expia-  
ta sunt peccata (inquit) & qui in arca recō-  
diti erāt, per aquam salui facti sunt. Id bap-  
tismi typū gesit, per quem fordes omneis  
peccatorum deponūtur, & vitę vetustas tol-  
litur. Si Iustinum martyrem, Clementem  
Alexandrinum, Ambrosium, Chrysosto-  
mum, Gregorium Nāzianzenum, Basiliū  
Augustinū, Prosperū, Ioānem Dama-  
scenum, ceterosque antiquos interpretes  
proferre velim, temp⁹ me profecto deficiet.  
Quid? quod Caluinus ipse baptismō pecca-  
torum remissionem, gratiāmque cōferri fa-  
tetur. Dum enim Confirmationis sacramen-

*Cyril.li. Hie.  
i pref.cat.**Hiero.li.1.  
aduer.Pel.  
epist.ad  
Octa.**Item. li.3.  
aduer.Pela  
Cyril.li.6.  
in Io.c. 15.**Iust.Apo.  
2.Cle.alex  
in pädago-  
lib.r.ca.6.**Ambr.de  
Isaac.c.vl.  
Chryso.ho.**35.in Io.de**pro. pis. et  
ho.de adā  
Eua.  
Gre. Nāz.  
ora.in san.  
lauacr.*

*Concio de sanctif. infant.*

Basili⁹. ho. tum euertere conatur, & eā distinctionē va-  
exhort. ad. nā esse contendit, qua baptismo spiritū san-  
f. bap. et li. ctum ad innocentiam dari dicimus, confir-  
s. cōt. Euno matione vim eiusdem augeri & ad pugnam  
Aug. tr. 80 in Iō. quæſt ac certamen copiosus exhiberi, ita scribit.  
33. in nu. li Quod si Dei verbum conculcare pro nihi-  
l. c. 13. cōt. lo ducebant, cur nō ecclesiam saltem reue-  
2. ep. Pelag rebantur, cuius vbique obsequentes videri  
Prof. delib. volunt. Quid autem grauius in hanc ipso-  
arb. Iō. Da. rū doctrinā proferri potest, q̄ illud Mileui-  
li. 4. ortho. fide cap. 5. tani concilii decretum? Qui dicit baptismū  
Cal. inst. li. in remissionem peccatorum dari tātum, &  
4. c. 19. non in adiutorium futuræ gratiæ, anath-  
ſet. 8. ma sit. Et paulo post de spū sancto, vel eius-  
dem gratia, quæ vel baptismo, vel cōfirmatio-  
nē nobis infunditur, loquens. Quod ve-  
rè in baptismo dabatur, in sua confirmatio-  
ne dari mentiūtur, vt furtī incautos à baptis-  
mo abducāt. Quis iā dubitet hāc satanę esse  
doctrinā, quę p̄missiones baptismi p̄prias  
à baptismo abscissas alio deriuat, & trāſfert.  
In primis animaduertendū est, quod conci-  
lium Mileuitanum ecclesię sententiam ap-  
pellat, tum nos nimis impudētes esse incre-  
pat, qui in eam manibus, pedibūsque non  
eamus: Ergo Caluinus homo verecūdus ac  
modestus, ecclesię sententiam sequatur, &  
vnā cū Mileuitano cōcilio, hoc est, ecclesia,  
baptismo

baptismo peccatorum remissionē, gratiāmque conferri fateatur, ne nos furtim incautos à baptismo abducat. Alioqui doctrinā suam satanæ esse doctrinam ne inficietur, quę promissiones baptismi proprias à baptismo abscissas alio deriuet ac trāsferat. Sed & alio loco per pastores, & ecclesię ministros peccatorum remissionem nobis dispē *Cal. inst. l. 6.*  
 sari (vt ille loquitur) vel euangelij pr̄dicatione, *4.c. 15.*  
*sept. 22.* vel sacramentorum administratione scribit. Quod si conferri gratiam, peccatorūmq; remissionem dispensari baptismo factetur, si baptismi vim ita extenuandā nō putat, quin signo accedat res & veritas (vt ipse ait) quaten⁹ per externa media Deus operatur, qua fronte baptismum nudum collata iam nobis gratię signum duntaxat esse, non autē gratiā in ipsa immersione cōferre afferere audet? Si enim gratiā baptismus nō cōfert, nō res, ac veritas ipsa signo, sed signū rei accederet. Videlis vt hic Prothę⁹ fese omnes vertat in facies, vt veritatem euertat. Et nunc cum Ecclesia baptismo peccatorum remissionem, gratiāmque conferri, afferat, non quod ecclesię authoritatē magnificat, sed vt illam ipsam, illiusque fundamenta, hoc est, sacramenta pessundet, confirmatione sublata, nunc apertè aduersus illam pu-

*Concio de sanctif. infant.*

gnet,& baptismum inane esse signum, nec peccatorum remissionem, aut gratiam conferre pronuntiet. An igitur doctrinam suam satanę esse doctrinam inficiari potest? qui nunquam cum ecclesia consentit, nisi ut ecclesiam violet,& tandem communem matrem, velut arroso vtero vipera matricida confodiat ac trucidet. Et hęc quidem quod ad baptismi vim attinet, haętenus dicta sint, ne' vel in proferēdis veterum scriptorum testimoniis sim prolixior, vel si in genere sacramenta gratiam conferant, differere velim, maiorem disputationem ingrediar, & à nostro instituto fortasse alienam.

Vos autem postrema hac mea oratione cohortabor, atque obsecrabo, viri Metenses, ut quem haętenus tenuistis, eundem & vitę antiquis moribus exultæ, & paternæ religionis cursum, in posterum quoque teneatis: neq; verò vana Caluinianorū vos commenta cōturbent, aut de statione, quam vobis primum Christus, & secundum Christū ecclesię vniuersę consensus, usque ad extremum vitę spiritum tuendam commisit, dimoueant. Perpendite quęfo, perpendite (in quam) quo temeraria istorum progrediatur insania: qui quum è septem duo tantum sacramenta sibi reliqua fecerint, ita demum reli-

reliquerunt, ut nomina inania duntaxat audiamus, rem ipsam nullo modo videre possumus. Baptismo enim peccatorum remissionem, ac gratiam, cœnæ dominicæ Christi corpus, & sanguinem subduxerunt. Quod & si verbis negant, re tamen afferere cōvincuntur. His sublati, quid cœna à pane consecrato, qui catechumenis olim porrigeatur, quid baptismus à lotionibus Mosaïcis differet? In cœna ( inquiunt ) verè ac re ipsa *Beza dial.* non solum meritum, & efficacia mortis do. I. de re sa- mini, sed ipsum etiā Christi corpus, & san- guis nobis communicatur, licet pluribus locis non consistat, licet de cœlo non de- trahatur, licet ad nos non perducatur. Nam contra fides eò nos deducit, atque efficit, vt re ipsa sumatur. fides quippè ( vt iidem asse- runt ) absentia verè, & re ipsa representat, quamuis re ipsa coram non adsint, vt pote quæ ad illa ipsa nos deducat. An verò diuer- fa corpora, quæ tanto locorum interuallo distant, nec suis locis mouentur, fides re- ipsa vniert, ac copulabit? Christum nos è cœlo deducere calumniantur Caluiniani, aut saltem Christi corpus diuersis locis eo- dem temporis momento collocare. At illi contra hominem in cœlum fideuehi asse- runt: alioqui quonam pacto cum Christi

*Concio de sanctif. infante*

corpo*re* in cœlum recepto, atque illic velut  
affixo (vt iidem tradunt) coniungeretur.  
*Exadilo.* Quod etiam his verbis explicat Beza, Chri-  
stum ipsum sanè nobis dicimus à Deo non  
minus offerri, aut à fidelibus percipi, quam  
„ pané & vinum: Et haec tenus præsentia cor-  
poris & sanguinis ponimus. Nō quod nūc  
„ sit in terris Christi caro, sed quod manēs in  
„ cœlis, nobis tamē per fidem in cœlum usq;  
„ euectis, verè per Spiritus Sancti omnipoten-  
tiam communicetur in vitam aternā. Ad-  
uersum nos rationibus ex corporum natu-  
ra ductis, acriter pugnant, at qui illi non mi-  
nus naturæ repugnant. Vtrum enim magis  
naturæ humani corporis repugnat, vel vt i-  
dem Christi corpus pluribus locis cōsistat,  
vel vt homo, etiā si loco nō moueatur, fide  
in cœlum deducatur, quo sacrosancti Chri-  
sti corporis re ipsa particeps fiat? aliter autē  
non percipit, quām deducitur, vt si re ipsa  
nō deducatur, nec re ipsa particeps esse pos-  
sit. Tantam diuini spiritus vim esse aiunt,  
vt ea etiam quæ longissimè sunt dissita, li-  
cet loco non moueantur, possit certissimè  
copulare: qui magis efficere id potest, quā  
vt idem Christi corpus pluribus locis cōsi-  
stat? Vtrumq; sanè dogma humani corpo-  
ris naturæ ex æquo repugnat. Quum tamē

Christi

Christi corpus & sanguinem nominant, nō  
imaginarium quiddam, sed substantiam ip-  
sam intelligere se iactat, veram corporis &  
sanguinis *κοινωνίαν* admittunt: corpus & san-  
guinem simul, & eodem tempore tot locis  
exhiberi non negant, quot locis sumuntur  
per fidem: ita dum corpori Christi natura  
insitas *ἰδιωτήτας*, auferre pertimescūt, huma-  
nis corporibus easdem auferūt, & homines  
fide in cœlum rapi falso commiscūt. At-  
que vbi hæc nostra nobis obiecerunt, ad di-  
uini spiritus omnipotentiam configiunt,  
séque hoc clypeo aduersum nos egregiè te-  
ctos existimant: quem si quando illis vicis-  
sim obiicimus, hoc est, dum in cœna realē  
(ut loquūtur) corporis & sanguinis Christi  
præsentiam, spiritus Sancti omnipotētia a-  
desse profitemur, nobis nihilominus excu-  
tere nitūt, neq; hic eandē omnipotētiam  
admittūt. quasi verò diuina vis, siue omni-  
potentia plus apud illos, quàm in vniuersa  
ecclesia, in hoc dogma cōfentiēte, aliquādo  
possit. Sed quū proprius vrgentur, fide Chri-  
sti corpus nobis applicari (sic enim loquū-  
tur) asserūt, quī aut id fiat sese ignorare pro-  
fitentur, hoc est somnia sua tueri quidē vo-  
lunt: Cæterū tam à veritate aliena nō negāt,  
vt mente etiā cōprehēdi nō possē fateantur.

*Concio de sanctis. infant.*

**Calu.adu.** Hinc Beza plurimum à Caluino precepto-  
**Heshusii.** re dissentit. Caluinus quippe vitam ex sub-  
stantia corporis Christi in cœlo manentis, vi-  
spiritus sancti ad nos manare scribit, ac sic  
eius carnem nobis in alimentum dari. Beza  
fide in cœlum nos euehi afferit, vt eodem  
Christi corpore pascamur. Ita illi omnia  
sursum deorsum ferentes, summa imis, ima  
summis cōmutantes, omnia denique miscē-  
tes, Christianam religionem prorsus à fun-  
**Beza dia.** damentis euertunt.

Quanquam quid sibi velit Beza, non  
satis assequor. Christi corpus & sanguinem  
à coena hactenus abesse scribit, vt sciamus  
illa nunc esse in cœlis, & non alibi. nos au-  
tem in terris, & non alibi. Sed tamē incen-  
rabili spiritu dei virtute fieri, vt (sicut verbo  
& symbolis panis & vini testificatur Deus)  
illo ipso Christi corpore pro nobis crucifi-  
xo, & sanguine pro nobis effuso, verè pasca-  
mur ad vitam eternam: quia fidei est presen-  
tissimum, quod tanto locorum interuallo  
est disiunctissimum: Idem Christi corpus,  
& sanguinem tot locis exhiberi fatetur, quot  
locis sumuntur per fidem, vt supra dixi.  
Atqui si Christi corpus, & sanguis sem-  
per sunt in cœlo, & non alibi, & nos  
fide in cœlum euehimur, illucque fisti-  
murus,

mur, vt his ipsis verè pascamur, sanè Christi corpus & sanguis diuersis locis sumi, aut exhiberi non possunt, nos è diuersis locis fide in cœlum euchi, vt illis fruamur, Beza comminisci potest: nisi forte Christum diuersis coeli plagis discurrere, vt fide euectis se se exhibeat, propriusque sistat, idē somniauit. sed illuc vnde digressi sumus, redeamus, fidei rationem explicemus: fides itaq; vt sint quæ non sunt, vt vniuantur quæ longè distant, vt adsint, quæ ab sunt, facere non potest. Face-re quidem potest fides verbo Dei nixa, vt tā certo nobis de illis constet, vt tam certo ea li-cet absentia, licet futura contueamur, ac si ipsis oculis contueremur. Sic enim exultauit Abrahamus, vt Christi diem videret, vis-dit, & lætatus est, inquit Ioannes. An Christi natalem mutata temporis serie, reipsa Abrahamo representatum dicemus? minimè gentium, Sed de Christo futuro tam certò Abrahamo constitit, quam si reipsa Christum contuitus fuisset: qua ratione fides rerum absentium, & quæ nondum sunt, veritatem, hoc est certitudinem, nō res ipsas representare dicitur. Multò verò minus nos ad illas perducere, illucque sistere potest. Quod si reipsa christi corpus nobis hic præsto non est, neque nos illi in cœlo præsto

Ioan. 8. 1

*Concio de sanctif. infant.*

esse possum<sup>o</sup>, neq; verò presto est, neq; sumi-  
tur, hoc est corporis christi dutaxat signum  
sumitur, no ipsu Christi corp<sup>o</sup>. Quod enim  
sumitur, fidei ore dutaxat sumitur, vt tradu-  
Caluinianis fides aute non rem absent<sup>e</sup>, sed  
rei absentis vel certitudin<sup>e</sup>, vel vim atq;<sup>;</sup> et <sup>et</sup>  
<sup>et</sup> <sup>et</sup> dutaxat (vt ia dixi) reprefat. In Zui-  
glianam itaque hæresim Caluiniani, licet  
inuiti, necessari<sup>o</sup> relabuntur, quæ Eucha-  
stiam corporis Christi figuram, non ipsius  
corpus esse tradidit. Nonne panis ille con-  
secratus, qui catechumenis porrigebatu  
Eucharistiam designabat, Eucharistiæ quoniam  
loco erat, quæ catechumenis non nisi po-  
baptismum administrabatur? vt à cœna Ca-  
uiniana nulla in r<sup>e</sup>e differre videatur. Bapti-  
mum porrò aiunt esse signum diuinæ iau-  
collatæ nobis gratiæ. Nonne lotiones Mo-  
saicæ, non solum corporis munditiam affe-  
reabant, sed animi etiam purgationem indi-  
cabant? Quemadmodum igitur in sacramen-  
torum ratione, antiquam Ecclesiæ traditio-  
nem relinquentes Caluiniani, in ipso do-  
ctrinæ Christianæ vestibulo grauiter im-  
pingunt. Ita & in Christianorum infantium  
initiis amplificandis, noua quedam & inaudita  
philosophati, non minus inuecta sua san-  
ctificatione cœcutiunt. Quod si in re quam  
tanta

tanta confidentia asserunt, ac docent, tanto-  
perè hallucinantur, quid de reliqua eorum  
doctrina coniicere potestis? Si aditum in  
Christi Ecclesiam ita suis obstruunt, quan-  
do illos intromissum iri putatis? Si in limi-  
ne impingunt, atque hærent, quid in toto  
progressu facturos sperare debetis?

Quantum autem omnes qui hac nostra  
ætate se ab vniuersæ ecclesiæ consensu se-  
gregarunt, sua secessione profecerint, quid  
ista peruvacia consequuti sint, quem fru-  
ctum suis affectatoribus attulerint, diligenter  
cogitare debetis. Et quamquam id per  
vos iandudum satis animaduertere potui-  
stis, tamen ab illis ipsis qui sua benè norūt,  
intelligere non erit alienū. Horum duæ in  
primis cælebrantur factiones, altera Luthe-  
rianorū, altera Caluinianorum. Quid vtri-  
usque principes de suis sentiant, audite.  
Lutherus nimirum suos increpat, multóq;  
quam dum sub Ro. pontificibus agerent, *Luther⁹ in  
deteriores esse ait, atque ad omne sceleris ge- postil. do.  
nus procliuiores: Et alio loco decies Sodo-* <sup>1.aduent⁹.</sup> *Cal. cōcio.*  
*mitis flagitioires esse testatur. Eadem de* <sup>10.in epist</sup>  
*suis deplorat Caluin⁹, ac quasi cum omniū ad Ephesios*  
*mortaliū sceleratissimis, facinorosissimisq; quæ gallicē  
cōparare, haud satis esset, malos genios hu- scripta est.  
manam formam induitos appellat (ea gallis*

*Concio de sanctif. infant.*

familiaris est loquendi phrasis) nec tam te-  
tra in Romana , quām in praeclaris illis suis  
ecclesiis ad apostolicam simplicitatē , inte-  
gritatēque reuocatis, monstra reperiri cō-  
fitetur. Nō solum autem illi hæc verbis, sel-  
& scriptis publicè testati sunt : vt vtrorūq;  
impietas memoriæ cōsecretur sempiterna  
Quod enim de illis iudiciū feret omnis p-  
steritas , quum testes ipsos viderit, apud e-  
qui accusantur, omni exceptione esse mai-  
res? quum testimoniorum cōmentarios ei-  
rundem opera typis excusos, eorundem p-  
ublico consensu receptos , approbatōsq; i-  
telleixerit? Quid porrò aliud istud est, quā  
& crimina cōfiteri, & prolatis ab accusat-  
rib⁹ testimoniis subscribere? Corruptos a-  
tē à nostris, vti scriptorū ecclesiasticorū p-  
rosque hæretici sāpē corruperunt, obiice-  
nō possunt: quod palām testamur, ac pos-  
ris testatum esse volumus. Quod si quis ei-  
tanto ingenio, tantāque industria, qui ve-  
nostrī temporis historiam conscribere p-  
dignitate poscit, plura nimirum in hanc  
argumenta, probationēsque proferet. V-  
strum igitur erit ex alienis incommodis,  
stra commoda, ex alieno errore, syncerā  
stram doctrinam, ex aliena pernicie , vesti-  
salutem metiri, atque iis in quorum posse-  
sion

fione hacten<sup>o</sup> fuistis, bonis perfrui, Deo aut<sup>e</sup>  
opti. max. gratiam habere, illū celebrare in  
primis, qui infractos animos vestros ista cō-  
stantia, ac fortitudine confirmauit. Quod si  
quis obiiciet, Caluinianam factionem cres-  
cere in dies, ingentes facere progressus, ma-  
gna à multis subsidia consequi, recordetur  
idem Arrianā hæresim imperatorū edictis  
nixam, mukorū episcoporū suffragio fultā,  
totius penè oriētis consensu, & bona occi-  
dentis parte non inuita receptam, tot erudi-  
torum hominum commētariis propagatam, ita aliquādo viguisse, vt de synceræ do-  
ctrinę instauratione desperandum sibi om-  
neis boni ducerent: ita rursus vno, eodemq;  
momento, collapsam, depressamque, ita in  
profundum obliuionis pelagus demersam,  
vt nulla eiusdē extent vestigia, nulla super-  
fit memoria, nisi siqua forte scriptorum ec-  
clesiasticorum Arriana dogmata refellen-  
tium literis consignata est. Idem de Calui-  
niana sperare nostro iure possumus: quæ  
quum antiquas omneis rerum aggrediun-  
darum audacia, dogmatumq; nouitate su-  
peret, diuturnior esse profecto non potest.  
Ipse verò huius princeps quem se se toti po-  
steritati spectandum exhibit? non est sanè  
cur hominē suis coloribus depingamus, il-

*Concio de sanctis infant.*

lum commentarij in lucē æditi, satis, supér-  
que depingunt. Quis enim, nō dicam Chri-  
stianorum, sed prophanorum, vel philoso-  
phorum, vel oratorum, vel poëtarum, vel  
cæterorum qui eruditione celebres fuerūt,  
tam in aduersarios acer, aut tam sui oblitus  
vñquā fuit, cuius tot maledictis, tot in mor-  
tales vniuersos contumeliis, oratio scateat,  
vt verè Timonem quendam ~~misericordissimorum~~,  
aut crocodilum hominis natura hostē exi-  
stimate possumus. Vbi verò est Christiana  
illa modestia, & qua semper omneis cōple-  
cti debemus, charitas? Quæ quo frequētius,  
pluribūsque locis ab illo commendatur, eo  
sēpius suis ipse verbis, sententiāque damna-  
tur. Quid? quod eo impudentiæ progressus  
est, vt quum ab amicis admoneretur, ne cō-  
mentarios suos tot contumeliis, probrīsque  
petulante scurra potiūs, quām modesto sa-  
crarum literarum professore dignis inqui-  
naret, morbum cum non ingenij, sed genij  
sui esse responderit: ne malum genium, sci-  
licet, omnibus illius scriptis commentādis,  
contexendisq; abfuisse, dubitare possemus.  
Voluit præterea fortasse & illud posterita-  
ti testatum relinquere, se nimirum eodem  
malo genio duce vti, quo natu maior, & de-  
fectionis author Lutherus ad inchoandam,

con-

*Calu. epift.  
ad Bucerū.*

condendámque præclaram suam sectā ante  
 incitatus fuisset: qui disputationes suas  
 cum dæmonibus habitas aliquando iacta- *Luther. de*  
 bundus enarrat, & memorabiles de his vi- *Missa priu-*  
 ctorias suas, triumphosq; prædicat: quomo- *& sacer-*  
 do in contentione de cœna scilicet cum ma- *dot. consec.*  
 lo dæmone cōgressus, atque hinc, illincque  
 diu multūmque agitatus, tandem tamen im-  
 mobilis constiterit, & tanquam pugil for-  
 tissim⁹ fixis vestigiis valéter insistens, loco  
 moueri nequiuierit. Luctā Iacobi patriarchę  
 cum Deo legerat, cū cacodæmone sibi ne-  
 gotiū esse maluit: homines enim ad ea quæ  
 naturæ suæ putant consentanea, magis fe-  
 runtur, vt illum nō solum furiosum, sed &  
 fanaticum oēs mortales agnoscerēt. Atqui  
 tantos istos prophetas titulis suis laudibūs-  
 que prosequentes, hunc tertium Eliā, quin-  
 túmque Euangeliastā, Melanchthon, & Po- *Melan. &*  
 meranus discipuli vocāt: Illum quanquam *Pomera. in*  
 natu minorem, ne cedere videretur, alterū *orat. fune.*  
 Mosem, quasi nondum cognitæ, & prorsus  
 nouæ legis doctrinæq; authorē, atque con-  
 ditorem Beza quoque discipulus appellat; *Beza in Io-*  
 quum vterque (vt de doctrina, vitāque reli- *sue.*  
 qua taceam) tam tetris moribus fuerit, & ab  
 omni humanitate prorsus alienis, tantāque  
 iactantia infamis, vt ne à suis quidem satis

*Concio de sanctis. infant.*

æquo animo tolerari posset. At nihilomin⁹ prophetę vocantur, quāmuis à seipſis nō ſecus quām à nobis, imò verò magis fortaffe diſſentiant. Perinde ac ſi diuinus ille ſpiri-  
tus pios omneis, præfertim autem prophe-  
tas, vnuſ idémque afflans, idémque perſeue-  
rans, diſſenſionis, ac ſeditionis author eſſet.  
Ita impij homines in tractandis ſacris literis  
ludút, ac minus cautiſ ingeniis ſpecioſa no-  
mina prætexentes, imponere ſolent, impu-  
dentérque mentiuntur, non aliter quam ſi  
fabulas Aesopicas, aut Luciani veras, hoc  
eſt falſiſſimas narrationes pueris, muliercu-  
lisque recitarent. En ad quos diuini verbi  
ministerium delatum eſt: En quos religio-  
niſ ſuæ duces, qui à nobis ſeceſſerint, ſibi  
deſignarunt, vt cæci cæcos ſequētes, in pro-  
fundum barathrum vtrique ſimul ac ſemel  
præcipitentur, ruant, demergantur. Sed hiſ  
omifſis, ne cum iſfanis iſfaniamuſ, cū piis  
antiquam pietatē colamus, piorum officia  
præſtemuſ, Dei opt. max. immensam boni-  
tatem imploremuſ, qui niſi irum vacillātes  
confirmabit, depreſſos eriget, afflictos cōſo-  
labitur, iuſtaſque ſuorū lachrymas, luſtūm-  
que perenni lætitia, ac ſempiterna fœlicita-  
te compenſabit. Nec verò, me quis (viri Me-  
tenses) priuata aliqua ſimultate prouocatū,

non

nō cuiusquam odio lacesitū , nō inuidia ac-  
censum, ad hanc disputationem aggressum  
esse existimet, sed officio adductum , vti ve-  
ritas ipsa , mediocrisque sacrarum literarū  
cognitio suggesit, ad hęc vobis explicanda  
accessisse certò sciat. Etenim & officij, & re-  
ligionis proditæ me iure arcessere possetis,  
si quæ meæ sunt partes , in verbo Dei syn-  
cerè vobis interpretando, in propugnanda  
vniuersæ ecclesię doctrina, in conuincēdis,  
euertēdisque Hæreticorum peruersis asser-  
tionibus, nō agnoscerem. Quod si fructum  
aliquem inde vobis accessisse sensero, si me  
vel huius laboris, vel suscepti muneri pœ-  
nitere nō debeat, intellectero , accēdar pro-  
fectō tum vestri studio, quibus quātum de-  
beam, non ignorō , tum iniuncti mihi mu-  
neris implendi ardore , vt maiora aliquan-  
do audeam.

F I N I S.

